
LVSITANIA

INFVLATA ET PVRPVRATA
SEV
PONTIFICIBVS
ET
CARDINALIBVS
ILLVSTRATA:

Ab ANTONIO DE MACEDO *Conimbricensi,*
Societatis IESV *Theologo et Pœnitentiario Apostolico.*



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, & SEBAST. MABRE-CRAMOISY,
Typographos Regios, viâ Iacobæa, sub Ciconijs.

M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO.

QVOS Lusitania Romæ dedit Pontifices, & ab ea accepit Cardinales, ij à me & diligenter collecti, & vtcumque descripti, Sanctitati Tuæ, Alexander Maxime, in hoc volumine offeruntur. Remota, si patria spectetur, habent cunabula: si religio, in media Româ sunt nati, quando Romana eos Fides & excepit, & eduxit. Apud Romanum Pontificem cuias quisquis sit,

ã ij

modò Catholicus sit, nullo discrimine habetur. Non Natio, non Prouincia, non Sanguis, sensus & animus attenditur. Præsertim Alexandro Pontifice, cuius antè Pontificatum extrà Italiam in longinquis regionibus impressa cernuntur eximiæ virtutis & sapientiæ vestigia: & in Pontificatu, omnium penè externarum Gentium Romæ apparent expressa insignia. Te Pontifice, effunditur in orbem Vrbs, propagatâ operâ tuâ per vniuersum, religione: & in Vrbem orbis infunditur acceptâ confluentium in eam & Catholicorum & Neophytorum multitudine; præter eos qui visendæ Romæ & virtutis tuæ obseruandæ, colendæque studio huc trahuntur. Idcircò ampliatur Vrbs; & in ea laxantur spatia viarum, quasi tuo sit tempore Roma omnes Nationes in

gremium acceptura. Non igitur hosce Pontifices, & Cardinales reijcies ad te venientes, licet mortuos, quos fama nominis exciuit tui, vt sub eo malint renasci. Renouantur patrocinio tuo lumina Tiararum, & colores purpurarum. Quod non potuere mei incogniti & rudis operâ calami consequi, id tui obumbratione nominis obtinebunt. Inuidebunt natales cineribus, quòd hi sint meliùs in sinu tuo repositi, quàm illi in astris fuerunt. Cæterùm ego qui Pœnitentiarij munus obeo, officio deessem meo, si Sanctitati Tuæ libellum hunc non offerrem, nec nomine ipso, nec re, opinor, à Majestate Tua alienum: imò tam proprium, vt subducere vix sine iniuria possem. Habitâ quippè publici muneris, quod gero, ratione, ad Te iure suo pertinebat. Spectato verò suscepti à me

operis argumento. quod præclaras Pontificum & Cardinalium, qui ante actis seculis floruerunt, virtutes, Actaque commemorat, in Te vnum, cui consecraretur, quadrare videbatur. In Arce enim Cardinalitiæ Dignitatis olim constitutus, heroïcis virtutibus excelsi illius ordinis proprijs eminebas. Ad summi posteà Pontificatus apicem euectus, Sanctissimos Pontifices, quos venerabilis Antiquitàs ob virtutem & gloriam singularem mirata est, imagine expressâ morum, ad viuum reddis, ac repræsentas. Hæc fecerunt animos, ad offerendum Sanctitati tuæ qualecumque istud opus sit, quod nomine saltem tuo illustre publicam lucem aspicere non verebitur.

Valeat S^tas Tua in annos plurimos.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

PONTIFICVM & Cardinalium Lusitanorum Vitas, Litteris mandare constitui, quas vel leuiter præstrictas, vel silentio inuolutas, externi Scriptores reliquerunt: ijs & regionum distantia semotis, & suarum rerum mole occupatis minùs licuit plenam & exactam nostrarum cognitionem assequi: at homini Lusitano ciuium suorum gestis describendis intento, atque in id collectis ingenij & studij viribus incumbenti, pronum fuit multa è tenebris eruere, & ad publicam lucem, commodumque proferre. Seuerioribus quamquàm occupationibus distentus, stylum non incomptum, neque inelegantem amaui, quem nec sapientes fastidiant, nec imperiti contemnant. Dedi operam, vt summa fide & integritate cuncta referrem; quo veluti duplici cardine, voluitur Historia. Lectori igitur in mentem non veniat, Lusita-

num de Lusitanis speciosa magis, quàm vera scripturum; cùm suæ quisque gentis Annales condat; neque pugnet amor patriæ cum studio veritatis: & quæ scribo, idoneis Authorum testimonijs satis confirmo.

Ludou. Donius de Attichy. Protulit nuper in lucem Flores Cardinalium tomis tribus collectos Ludouicus Donius d'Attichy, Episcopus Æduensis, nobilis Scriptor Gallus. *Aubery.* Non multis antè annis ediderat Auberyus, maternâ linguâ, quinque de R. E. Cardinalibus iustæ magnitudinis volumina: à quo ego Authore admodùm erudito, ac diligenti vt mea ornarem, multa accepi. *Petr. Frizon.* Petrus Frizon in sua Gallia Purpuratâ, occupauit argumentum, quod iamdudum mente conceperam, & meis lucubrationibus cogitatione præfixeram: quo liquidò comperi diuerso homines ingenio, locis dissitos, moribus dissimiles, animis plerumque & cogitationibus in vnam, & eamdem sententiam conuenire. *Felix Contelorius.* Felix Contelorius, Italus, Cardinalium Elenchum in duas partes secuit, ducto operis initio ab anno M. CCLXXXXIV. quod ille diligentissimè est persecutus; vt potè qui Vaticani Archiuij Præfecturam gessit; & in rebus explorandis multùm operæ, & studii collocauit: nec quicquam nisi præmeditatum, ac perspectum scriptis prodidit, quod in ipsis Rom. Bibliothecarum fontibus hausit. Baronium prætereâ, Platinam, Panuinium, Ciaconium, Spondanum, Vghellum,

Vghellum, Odoricum, Bzouium, Sanderum, Nomenclatorem, Martinum Polonum, du Chesne, Victorellum, Miræum, Turrigium, Oldoinum, Tamayum de Salazar, Ludouicum à S. Carolo, Cabreram, Albium, Garimbertum, aliosque Authores Italos, Gallos, & Hispanos sedulò euolui, & quod caput est, nostrates Lusitanos; quibus magna ex parte quæ in hoc opere trado, accepta refero: quos inter primas tenet Illustrissimus D. D. Rodericus à Cunha, Archiepiscopus primùm Bracharensis, posteà Vlysipponensis, notior suis & virtutibus, & doctrinis, & studiorum grauiorum monumentis, quàm vt commendatione indigeat, qui Episcoporum Portucalensium Catalogum primùm confecit, mox Ecclesiæ Bracharensis Historiam, Vlysipponensis demùm, non omni tamen ex parte absolutam, accuratissimè conscripsit: & multa suis in locis tradidit de S. Damaso, Ioanne XXI. P.P. Romanis; ac de nonnullis S.R.E. Cardinalibus, qui Portucalenses Bracharenses, aut Vlysipponenses Antistites fuerunt. Non pauca in rem suggessit Antonius Sousa de Macedo, summæ fidei & authoritatis scriptor, in excellentijs & Floribus Lusitaniæ, quos in vnum volumen veluti fasciculum collegit: Georgius Cardoso, Presbyter Vlysipponensis, Hispanicarum, præcipue in Lusitania, Antiquitatum diligentissimus indagator, in suo Agiologio, & in litteris ad me datis Vlysippone, nonnulla incul-

D. Roder. à Cunha.

Anton. Sousa Macedo.

Georgius Cardoso.

cauit operi concinnando idonea: quemadmodùm & Ioannes Francus Barretus, vir planè eruditus, misso ad me in vrbem M S S. de Cardinalibus Lusitanis libello. Eius Bibliothecâ Lusitanâ propediem typis mandandam mihi videre non licuit. Pauciora suppeditauit Fr. Bernardus de Brito, Monachus Cisterciensis, grauissimus Lusitaniæ Historicus, qui patrio sermone à diluuio initium ducens, Lusitanos Annales texuit, *Monarchiæ* nomine Historiam appellans, stylo culto maximè, & accurato, in quo comendo, multam, sed non pœnitendam operam posuit. Antonius Vasconcellius de S. Damaso Vimaranensi, & Ioanne Vlysipponensi P.P. Rom. Iacobo, Alphonso, & Henrico maximè, Cardinalibus, fusè & eleganter scripsit. Franciscus de Macedo in suo Propugnaculo Lusitano Gallico, Parisijs edito, multa & præclara tum domi, tum foris à Lusitanis gesta hinc inde, vti sese dabant rerum capita, carpendo narrauit: sed altiùs exaggerata oratione, & pluribus, quàm Historicum deceat, luminibus distincta; aptè tamen ad genus scriptionis, quod sibi proposuerat: quod opus cùm legerem, nonnulla inueni, quæ non parùm quadrabant suscepti à me operis argumento. Vnus Emmanuel Seuerinus de Faria, Canonicus Eborensis, doctrina, probitate, & sanguinis claritate conspicuus, propriam, non tamen iustam, nec integram, *de Cardinalibus Lusitanis* Opellam moriens M. S. S. reli-

Ioan. Franco Barreto.

Fr. Bern. de Brito.

Anton. Vasconcellius.

Francisc. Macedo.

Emman. Seuer. Faria.

quit, sed minùs benè limatam, vt ferme ijs Authoribus contingit, qui ab vrbe valdè semoti de Romanæ Ecclesiæ rebus scribunt: Is tamen mihi scribenti facem suis lucubrationibus prætulit, & lucem attulit; ac quâ incedendum esset, suæ splendore doctrinæ, non semel viam signauit; cui proindè accepti beneficij memor gratias quàm maximas agere debeo.

Hos cursim attingere, commemorando Lusitanos scriptores, volui: plures consultò omisi, ne fastidium lectoribus afferrem. Fontes aperui, è quibus hausi quæ litteris mando, & calamo instillo. Et si plures, eosque in rem idoneos libros ad manum haberem; & Lusitanarum Ecclesiarum Tabularia, ac Sacræ Antiquitatis monumenta præsens inspicere, rimarique possem, plenior & accuratior euaderet de Lusitanis P.P. & Cardinalibus narratio. At si in rem non habui, quibus Lusitania abundat, libros, aliorum lectione profeci, quos in ea non reperirem; Præterea non parùm diligentiæ ac laboris adhibui, vt multa ab illius Regni Tabularijs ad me in Italiam mitterentur. Et quod caput est, nonnullorum de quibus agendum mihi est, Sepulchra Romæ præsens vidi, & acta legi, vt certiùs ac commodiùs mortuorum virtutes, moresque calamo ad viuum exprimerem, quos in patria, procul ab vrbe scribens vix adumbrarem.

Vnum moneo: Petrum Gomesium Barrosum,

Hiſpanum, Agapitum Columnam & Alexandrum Farneſium, Italos cum Luſitanis recenſeo, quia Epiſcopatus in Luſitania geſſerunt, deque Luſitana gente optimè meriti fuerunt. Farneſiæ præterea Domus Principes, externi Luſitanis hominibus cenſeri non debent, cùm Maria, excellens omnis memoriæ Princeps, Emmanuelis feliciſſimi Luſitaniæ Regis, ex filio Odoardo Neptis, Alexandro Parmæ Duci nupſerit, & filios ediderit, ceu duo ſplendidiſſima Italiæ Sidera, Cardinalem Odoardum, & Principem Raynutium.

Vt illuſtrior euadat Hiſtoria, lucem idoneo Prooemio inferre, & faciem adornare conſtitui, quò reliquum deindè Operis corpus aptius, & elegantius videatur. Sicuti multi & graues antè me Authores, non ſine magna legentium & vtilitate, & voluptate fecerunt: itaut in iuſtam legem ſolemnis ille mox tranſierit; contractotamen ſtylo & ad metas hærente, id perficiam, ne liberiùs, quàm par eſt, excurrere ſcribendo contingat.

SYLLABVS
PONTIFICVM ET CARDINALIVM.

De quibus in hoc opere agitur.

PONTIFICES.

D*amasus I.*	P.P. XXXVIII.
Ioannes XXI.	P.P. CLXXXV.

CARDINALES.

A	
Ægidius Visensis.	Anno, & P.P. incerto.
Agapitus Columna.	Ab Vrbano VI. 1378.
Alexander Farnesius.	A Paulo III. 1534.
Alphonsus de Portugallia.	A Leone X. 1517.
Antonius Martinez de Clauibus.	Ab Eugenio IV. 1439.
G	
Georgius da Costa.	A Sixto IV. 1476.
H	
Henricus de Portugallia.	A Paulo III. 1545.

I.	
Iacobus de Coimbra, ac de Portugallia.	A Calixto III. anno 1456.
Ioannes Alphonsus d'Azambuia.	A Ioanne XXIII. anno 1411.
Ioannes Canonicus Conimbricensis.	
L.	
Ludouicus Amaralius.	Ab Felice V. Antip. anno 1444.
M.	
Martinus Episcop. Vlyssippon.	A Clemente VII. anno 1483.
Michael da Silua.	A Paulo III. anno 1539.
O.	
Ordonius Alures.	A Nicolao III. anno 1278.
P.	
Pelagius Galuanus.	Ab Innocentio III. anno 1206.
Petrus Fonseca.	A Martino V. anno 1418.
Petrus Gomes Barroso.	A Gregorio XI. anno 1371.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in Regno eius, alijsve locis eius ditioni subditis, Librum qui sic inscribitur, *Lusitania Infulata & Purpurata*, ab ANTONIO MACEDO Societatis IESV Theologo, quouis caractere aut forma excudere, aut alibi excusum vendere, aliove quolibet modo distrahere possit intrà decem annos computandos à die absolutæ primæ editionis, præter SEBASTIANVM CRAMOISY Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, nec non vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, provt fusiùs in Diplomate Regio continetur. Datum Parisijs mense Iunij 1663. Sic signatum,

MABOVL.

IOANNES PAVLVS OLIVA
Societatis Iesu Vicarius Generalis.

CVM opus, quod inſcribitur Luſitania Pontificibus, & Cardinalibus illuſtrata à Patre Antonio Macedo noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur; cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ 1. Nouembris 1662.

IOAN. PAVLVS OLIVA.

PROEMIVM

PROEMIVM OPERIS.

CARDINALIS nomen, idem significare, ac præcipuum, multi existimant: quo sensu Ambrosius, virtutes Cardinales; & Augustinus primarios Donatistas, Cardinales appellarunt; & Physiologi, ventos, Cardinales, dixerunt. Aptiùs, ni fallor, à cardine nomen ducitur: idque grauissimo Pij II. P. P. Max. testimonio confirmatur: In oratione quippe ad Cardinales habita, ità loquitur, *Vos Senatores Vrbis, & Regum similes eritis; veri mundi cardines, suprà quibus militantis ostium Ecclesiæ voluendum, ac regendum est.* Quemadmodum enim cardinibus fores voluuntur, ac sustinentur; ita militantis ostium, molesque Ecclesiæ Cardinalibus vertitur, nititurque: Hæc de nomine.

De Nomine. *Ambros. l. 5. in Luc. Aug. l. 1. de Bap. c. 6. Physiologi.*

Pius II. Com. lib. 4.

De antiquitate: Ciaconius tradit Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, & Marcum, Petri, Christi Vicarij personam in terris agen-

De Antiqvitate. *Ciacon. in Hygino.*

Anast. Germ. l. 3 c. 6. Alban. tr. de C. C. q. 105. Manfred. tr. de C. C. q. 20. Aug. Triumph. q. 102. Pont. in Serm. habito in Conc. Basil. Hallier de Hier. Eccles. lib. 4. art. 3. Paleot. de Sacr. Consist. membro 5. c. 11 Osorius de Reb. Eman. Reg. Lusit. l 3. f. 143.

tes, re, & officio Cardinales extitisse; etsi Cardinalium nomen non haberent. In eadem sententia sunt Hermonius, Albanus, Manfredus, Augustinus, Triumphus, Pontanus, & alij. Palæottus altiùs quæsiuit initium. Apostolos constituit Christi Pontificis Cardinales. Dictis non leue authoritatis pondus addit, quod narrat Osorius, grauis & elegans sui temporis Scriptor. *Christianos, videlicet, in Orientis Solis India ab Apostolo Thoma, Thomæos nuncupatos, suum habere Antistitem, qui cum duodecim Cardinalibus, duobus Patriarchis, & multis Pontificibus, quæ ad religionem stabiliendam pertinent, decernit: illumque morem, ac dignitates à multis retro seculis à Thoma primùm institutas, continuo ductu per consequentium annorum seriem retentas, & ad nostra tempora transmissas esse.* Quod efficax in rem argumentum videtur: nam quas Thomas, diuino consilio, ad Orientis Ecclesiæ regimen Dignitates instituit; easdem Petrus Apostolorum Princeps, in Occidentis Ecclesia, orbis Principe, ac Magistra, item inuenit, quò meliùs Sacrarum rerum administratio constaret. Panuinius in Hyginum P.P. refert originem Cardinalium. In Pontianum, Aluarus Pelagius. Nec desunt, qui à magno Gregorio Cardinales primùm in Rom. Ecclesiam inuectos affirment. Eugenius IV. in Epist. ad Henricum Cantuariensem testatur ab Apostolis fuisse Cardinales adumbratos.

Panuin. l. de Episc. Tit. & Diacono Card. fol. 50. Aluar. Pelag de Planctu Eccl. lib. 2. c. 16. Consule Azorium parte 2 Inst. lib. 4. c. 1. & Bellarm. tom. 1. lib. 1. c. 16.

In hac de nomine controuerſia, id certum habetur; Cardinalis nomen tum primùm Eccleſiæ innotuiſſe, cùm Silueſter I. in Concilio Rom. Anno cccxxiv. coacto decreuit; Vt præter ſeptem Diaconos Cardinales Rom. Eccleſiæ, alij duo eſſent ad examen Paræciarum deſtinati. Cæterum Concilium ijs nomen Cardinalium primò non imponit; imò iam in vſu fuiſſe citatis verbis innuit, vt altiùs illa expendenti conſtabit. Quapropter Silueſtro multò eſſe antiquius, cum Bellarmino exiſtimo: Poſteà verò à Gregorio Magno, quem Silueſter 300. ferè annis præceſſit; & à conſequentibus P. P. Rom. frequentiùs vſurpari cæpit. Ex his pronum eſt deducere, huius clariſſimi nominis initium nobis compertum non eſſe. Nec tanti refert quod eius originem ob antiquitatem aſſequi, aut inuenire non poſſimus, cùm ipſa initij ignorantia antiquitatis indicium ſit; & venerationis argumentum. Nec me pudet fateri quod viros antè me doctos fateri non puduit: latere ſcilicet originem multarum, & maximarum rerum, de quibus ſola traditione conſtat à maioribus ad poſteros deriuata. Nec ineptè dixerim vti flumina, quorum ob longitudinem occulti ſunt fontes, nobiliora ſunt; ita quorum latent initia, res illuſtriores eſſe, & ſacratiores.

Concil. Rom. An. 324.

Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Cler. cap. 16

Gregor. Magnus.

In Concilio Baſileæ cautum lege fuit, ne

De Numero C. C. Concil. Baſil. SS. 23.

plures quàm 24. Cardinales essent. Duos suprà septuaginta, idonei Authores esse debere contendunt, vt LXXII. Christi Discipulos numero adæquent. Minor profectò numerus fuit sedente Callixto II. & Nicolao III. quem propter mores ad modestiam compositos, *Compositum* dixerunt. Maior, sub Paulo III. & Paulo IV. Sub Pio IV. Maximus. Tandem Sixtus V. ne vagus numerus esset, & incertus, certum & constantem LXX. esse voluit, qui totidem Seniores exprimeret, Moysi Iudæorum Principi, adiutores & consiliarios diuinitus adsignatos. In confesso est totum id à Rom. Pontificis arbitrio pendere; qui plures, vel pauciores, si velit, creare potest.

Panuin. & Ciacon. in Callixto. II. & Nicolao III. Donius tom. 1. initio & Frizon in Gall. Purpur. Diana p. v. tr. de Cardin. Iacobat: lib. Concil. 1. n. 251. Sixtus V. in Constit. quæ incipit: Postquam verus ille, de Dignitate Cardinal.

Si stylum ad Cardinalium præstantiam conuertamus; facilè intelligemus, quàm sit excellens, quoniam in summo dignitatum fastigio, quamquàm multò inferiores Pontifice, versantur. Propiùs illi Papam attingunt, & cum eo vnum quasi corpus domesticum efficiunt. Sanè etsi Pontifex cum tota fidelium societate vnum corpus efformet, quod fide continetur, est tamen veluti vniuersum quoddam & publicum communi vinculo copulatum, quæ Ecclesia appellatur. At verò ille ipse Pontifex cum Cardinalium Collegio ita coalescit, vt intimam quamdam familiam componat, & quasi domum efficiat, cum qua arctiùs colligatur; illos-

Eugen. IV. Constit. 15. c. 10.

que & fratrum, & intimorum, & consiliariorum loco habet; & ad munus suum Socios, adiutoresque adhibet. Quarè necesse est vt qui inter cæteros fideles multùm familiaritate, & vsu excellunt, ijs quoque dignitate longè superiores emineant. In huiuscè rei commendationem Constantinus Magnus legem condidit, vt Siluestri P.P. Consiliarij, Senatoriæ dignitatis priuilegijs fruerentur, quâ nulla apud Romanos sanctior, aut augustior habebatur. Quòd si aperiente se primùm serenitatis die, Constantini Sole in Ecclesiam illato, tantus enitebat in Cardinalitia dignitate splendor; quanta, adultâ iam die, depulsis persecutionum nubibus, & Catholico orbe altâ pace fruenti, Cardinalium majestas erit, & amplitudo? Ijs plenam fidem habebimus, si munia quæ exercent, distinctiùs persequamur. Primum est, cæteris Episcopis, Presbyteris, & Diaconis commune: omnes enim vel sunt Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi. Secundum, Pontificem consueto & solemni more eligunt: quo certè munere quid excellentius? Nam cùm Pontifex à Deo Ecclesiæ suæ præpositus sit, & vice sui in terris fungatur, consequens est vt & ij qui illum creant, authoritate & dignitate maximè præstent. Tertium, Summo Pontifici perpetuò assistunt, eumque in gubernanda Ecclesia consilijs iuuant; qua ratione orbis vniuersitatem animo & cogitatione

Can. 14. & 16. in Nomocan Photij sub tit. 8. de Parochis. Anastas. Germon. De Sacr. immun. l. 3. c. 6.

complexi, cuncta sua studia in rei Christianæ, & publicæ salutem conferre tenentur.

Quod attinet ad habitum Cardinalium, in re trita, & passim oculis obuiâ, moram trahere superuacaneum duco, ne actum agere videar. Instituto quidem, moreque maiorum sua sunt magistratibus insignia decreta, vt quam quisque dignitatem sustinet, eamdem habitu ad maiestatem composito, tueatur. Hinc sceptra, coronæ, purpura Regibus; fasces securesque Consulibus; tiaræ Pontificibus; paludamenta Imperatoribus; laticlauia Senatoribus; anuli Equitibus assignati. Idoneus Cardinalibus habitus attributus; intra grauitatem splendidus, quia Ecclesiæ Principes sunt: extrà fastum honestus, quia sacras personas gerunt; & religioni, non luxui seruiunt. Constantinus Imperator pietatis & venerationis causà, Cardinalibus concessit mappulas candidas, ad ornandos equos, dum equitarent. Vdones item candidos, quibus vtebantur Senatores. Certò tamen non constat, fuerint ab illis in vsum deducti, nec-ne? Meritò credendum, aurea illa ætate, non tam de corporis habitu, quàm de moribus aureis, & de animo virtutibus ornando cogitasse. Procedente tempore, florentibus in dies Ecclesiæ rebus, augustior religiosis domibus, & sacris viris species accessit. Romanæ præsertim Ecclesiæ Principes certo quodam, & proprio habi-

tu insigniri, distinguique à cæteris Christi Fidelibus cœperunt; ne sine discrimine inter cæteros versarentur, qui ijs authoritate & officio præstabant: Idcircò Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi 1. Anno MCCXLV. capitis insigne rubrum Cardinalibus assignauit; siue illud pilei, siue galeri nomine dicatur: vtroque enim ab Authoribus passim appellatur. *Bonifacius VIII.* teste Ciaconio, *Rubri coloris vestimenta dedit.* Paulus II. edicto cauit, ne quis præter Cardinales, birretum, seu pileum rubrum ferret. Rubri etiam coloris stragulis ornari equos præcepit, dum ijs insiderent. Nostra demum ætate Vrbanus VIII. statuit, vt cùm veherentur curribus Cardinales, equos haberent purpureis è serico floccis ad fręna pendentibus ornatos. Quæ habitûs species, & plenus Maiestatis incessus ad Cardinalitiæ Dignitatis commendationem maximè facit. Et quoniam coloris magna in Sacris litteris ratio haberi solet, purpureum certum, & proprium Cardinalium Pontifices esse voluerunt, vt meminerint paratos esse oportere pro tuenda religione Catholica, si ferat occasio, sanguinem profundere. Purpureo item colore caritas, virtutum princeps adumbratur, quam moribus ac studijs suis ad viuum referre debent.

Concil. Lugdun. 1. Anno 1245.

Ciacon. in Bonif. VIII & in Paulo II Platina.

Hæc pro communi Cardinalibus dignitate

ſatis ſint. Nunc ad propria venio. Pontifices primùm lectoribus ante oculos propono: deinde Cardinales in ſua ſæcula, annoſque conijcio, & in ordinem, euoluto temporum filo, reduco.

DAMASVS I.

DAMASVS I. P.P. MAX.

Ab Anno 367. Ad Annvm 384.

DAMASVM hoc nomine I. Hiſpanum fuiſſe conſtat. In qua verò Hiſpaniæ Prouincia, vel vrbe natus, grauis eſt hac ætate inter Scriptores diſcordia; quòd ſinguli ſibi perſuadeant, quæ illum prima excepe- rit, eam cæteris nobiliorem fore. Antonius Beuter Damaſi natales vrbi Tarraconenſi attribuit. Empuritanæ in Catalonia Prouinciæ, Hieronymus Puiades, ductâ à maioribus traditione nixus, & vetuſti Breuiarij Barcinocenſis authoritate & cruce quadam à Damaſo P. P. ad ſuos gentiles dono miſſâ. Mantuæ Carpetanorum, quam nunc dicimus Madritum, Catholicorum Regum ſedem, reliqui Authores Caſtellæ Damaſi natales adſignant: Hi ſunt Iulianus, Archi-

Antonius Beuter in Hiſt. Valent. l. 1. c. 25.

Hieronym. Puiades in Hiſt. Catal. l. 5. c. 14.

Iulianus.

Matamoros. Bleda. Madeira. Pereda. Gonçalez de Auila. Quintano. D. Thom. Tamayus Biuarium. Caro. Ramires. Erze. Quintanaduenas. Roxas. Lozana. Ioannes Tamayus. Luitprandus. Marineus Siculus. Claudius Clemens S. I.

presbyter Toletanus, Alphonsus Matamoros, Iacobus Bleda, Gregorius Lopez Madeira, Fr. Franciscus Bereda, Ægidius Gonçalez de Auila, Hieronymus de Guintano, D. Thomas Tamayus Biuarius, Rodericus Caro, Laurentius Ramirez, D. Michael d'Erzé, Antonius Quintanaduenãs, D. Petrus Roxas, Comes Morensis, Lozana, quorum vestigijs insistit Ioannes Tamayus, Salazarius, nobilis Auctor; & suis adiungit tres aliarum Gentium Scriptores, Luitprandum, Diaconum Ticinensem, in Chronico ad Ann. 676. Marineum Siculum lib. 2. & Claudium Clementem S. I. Burgundum. Sed immeritò: illud quippè Luitprandi Chronicon àviris eruditis suspectæ fidei habetur. In Vitis verò P. P. Rom. (si tamen ab alio Auctore conscriptæ non sunt) Damasum vocat *Hispanum*; quo sub nomine & Lusitani intelliguntur. Marineus Siculus, loco citato, diligenter inspecto, ità scribit: *A multis perhiberi Damasum Madriti natum.* Quod ille multorum iudicium in medio relinquit. Claudius Clemens, in Tabulâ Chronolog. Cent. IV. tradit, Damasum ab aliis Matricensem, Lusitanum ab aliis, Tarraconensem verò à nonnullis dici. Itaque parùm idoneos ad faciendam dictis fidem Authores Tamayus adducit.

Flauius Dexter.

Tota huius sententiæ moles, Flauij Dextri, vetusti Historici authoritate nititur, qui Man-

tuam Damaſo patriam attribuit; & exortam inter recentioris memoriæ Scriptores controuerſiam dirimit, inquit Biuarius, quaſi in tradendis Hiſpaniæ rebus indubitatam hic Author fidem faciat. Cæterum viri docti, Itali, Germani, Galli, Hiſpani, Luſitani, Belgæ, Flauij Dextri Chronicon integræ fidei eſſe negant, vt potè quod ab alijs Authoribus, Dextri nomine obtento, conſcriptum ſit, qui vt dictis fidem conciliarent, illud ſibi affinxerunt: ac proinde parui momenti eſt, quodcunque iſtud ſit, deſumptum à Dextro teſtimonium.

Baronius t. 5. An. 495. n. 41. Pennottus parte 2. c. 51. Ioan. Philipp. Vorburg. Hiſt. t. 4. An. 395. Philip. Labbe. S. I. vir eruditiſsimus, Dextrum, Luitprand. Halecum, Iulianum, nullius fidei ſcriptores appellat in libr. de ſcrip. Eccleſiaſt. Luitprandus. Nicolaus Antonius Alphonſus. Maldonat. Ioan. Boland. S. I. vir immenſa eruditionis. in Acta S. S. t. 1. in Præfat. c. 2. §. 6. Initio item Februarij. c. 4. Godefridus Henſchen: par Bollando eruditione, hac de re à nobis in Vrbe conſultus. Macedo Minorita.

Demus tamen Hiſpanis legitimum eſſe Authoris opus, infirma valdè ratione fulciuntur, vt Damaſum Mantuanum appellent: Ad Annum quippè CCCLXVI. Mantuæ Carpetanorum, & Luſitaniæ & Prouinciæ Tarraçonenſi his conceptis verbis Dexter, æquè fauere videtur: *Liberio ſuccedit Damaſus ex Mantua Carpetanorum: alij faciunt ex Igeditania Luſitanum, alij Tarraconenſem.* Tres Authorum ſententias recenſet, quæ ſua iam ætate de patria Damaſi contendebant, neque vni certæ adhæret. Siniſtra igitur interpretatione Dextri teſtimonium ad ſuam confirmandam ſententiam Hiſpani Scriptores detorquent: & quò magis pronos in ſuum ſenſum Lectores redderent, ſuſcepto ſtudio, verba illa truncarunt: *Alij faciunt ex Igeditania Luſitanum; alij Tarraconenſem*: ita enim habetur in vetuſtiori

Anton. de Souſa Macedo in excell. Luſitaniæ excell. 2. cap. 9.

Dextri Chronico. Hæc, quia in rem ſuam non erant, à continenti libri ſerie noui ſcriptores expunxerunt; & ad marginem de induſtria reiecerunt, vt lectoribus appareret, recentioris alicuius annotationem; non Dextri, antiqui authoris, verba, aut ſententiam fuiſſe. Quo certè argumento conficitur, nonnullis Caſtellæ Hiſtoricis hac in re nullam fidem habendam, cùm & verba truncent, & ad ſui arbitrium ſcriptorum teſtimonia fingant. Præctereà, quod proximè innui, Dextrum incorruptæ fidei Hiſtoricum eſſe inficior, cùm in multis, quæ narrat, parùm ſibi conſtare deprehendatur: & Barcinone Gothorum vrbe natus Sueuis, qui per id tempus Luſitaniæ imperitabant, & bellum contrà Gothos perpetuo gerebant, minùs æquus, facilè à veritatis tramite deflectere potuerit. Longè maioris momenti rationes ad ſuam confirmandam ſententiam hi authores petere poſſent à traditione, quæ ad hanc vſque diem Madriti vigere dicitur, & à vetuſta Damaſi imagine, quæ in Saluatoris paræciâ, magnâ fidelium religione colitur.

His ſummatim delibatis, ſupereſt vt Damaſi natales Luſitaniæ tribuamus; idque tum ſolidis, opinor, rationibus; tum grauiſſimis authorum teſtimonijs confirmemus. Ac primum Hiſpanos Hiſpanis committo, & in medium produco eruditiſſimos Caſtellæ hiſtoricos, qui Luſita-

taniȩ partes sua authoritate tuentur. Hi sunt Ambrosius de Morales in hist. Hispan. lib. 10. c. 40. Stephan. Garibay in Comp. Hist. parte 3. l. 7. c. 52. Ioannes Pineda, Monarchiæ Eccles. parte 2. l. 13. c. 23. D. Maurus Castella, in Hist. Compost. l. 2. c. 23. D. Francisc. Padilla, in Hist. Eccles. Hispan. tom. 1. Cent. 4. c. 56. Alphons. Illescas, in Histor. PP. sub Damaso Ioannes Azor, eximius Theologus 5. 2. parte 2. Instit. Moral. lib. 5. c. 44. Ioannes Marieta, in Hist. S.S. Hispan. l. 5. c. 1. Ciaconius, in Hist. P.P. Rom. tom. 1. sub Damaso: &, quod magni faciendum est, in hanc partem magis inclinat Ioannes Mariana, rerum alióqui Lusitanarum parùm æquus æstimator, & Scriptor, lib. 4. de Reb. Hispan. c. 10. Biuarius verò, acerrimus Dextri, Madritique defensor, Lusitanorum rationibus ex parte flexus, Damasum Madriti sanè, sed Lusitanis fortassè parentibus natum concedit. Hispanis Belgam adiungimus Ioannem Vasæum in Chron. Hispan. ad Annum ccclxix. Graue ijs authoritatis pondus addit vetustum Palentiæ, in veteri Castella vrbis, Martyrologium, antiquitate venerabile, in quo disertis verbis, sic: *Natale S. Damasi Hispani Vimaranensis.* Nobile Vimaranum oppidum est decem ferè milliarijs à Brachara Augusta disjunctum. In hanc iuere sententiam omnes ferè antiquiores: Ac ea fuerat primùm in Hispania recepta

Ambros. de Morales. *Garibay.* *Pineda.* *Maurus Castel la.* *Padilla.* *Illescas.* *Azorius* *Marieta.* *Ciaconius.* *Mariana.* *Biuarius.* *Ioannes Vasæus.* *Martyrol. Palentin Acumha in Histor. Brachar. parte 1. c. 51.* *Bernard. de Brito in Monarch. Lus. l. 5.*

Macedo Excell. 10. c. 9. Seuerin. de Faria. §. 1.

traditio; quam conantur hodie conuellere quidam magni nominis, sed nescio, an paris fidei Scriptores. Itaque Hispanos Hispanis Authoribus opposuimus; & ipsorum testimoniis nostram sententiam confirmauimus.

Cæterùm Lusitani communi omnes consensu Damasum in Lusitania natum affirmant. Horum numerum inire nimis operosum esset, & fastidium lectoribus afferret: præcipuos ex ijs seligere operæpretium erit, vt Historiæ dignitati, & fidei consulamus. Agmen ducat Fr. Bernardus de Brito, regius ac elegans Historicus in Monarch. Lusit. parte 2. l. 5. cap. 27. Eduardus Nunez à Leone in Descrip. Lusit. c. 37. Andreas Resendius, vir suæ ætatis eruditissimus, & studiosissimus veritatis, & Hispanicarum, maximè in Lusitania, antiquitatum diligentissimus indagator, in Epist. ad Quebedium pag. 247. Antonius Vasconcell. S. I. in descript. Lusitan. pag. 519. Illustris. Archiepisc. Brachar. Acunha, in Hist. Eccles. Brachar. c. 51. n. 3. Emanuel Barbosa in Remission. ad Ordinat. Lusit l. 5. tit. 49. Antonius de Sousa Macedo, de Excellent. Lusitan. c. 9. Excell. 10. Fr. Ludouicus ab Angelis, in Viridario, c. 34. & 35. Augustin. Barbosa, in Dictionario Iuris, Dict. 131. & tom. 1. Collectan. Decret. in prooemio. n. 20. Gaspar Barrer. in Corograph. cap. de Madrito. Emanuel Seuerin. de Faria, de Cardin. Lusit. §. 1.

Fr. Bern. de Brito. Nunez à Leone. Resendius. Vasconcellius. Acunha. Barbosa. Macedo. Ludou. ab Angelis. Alter Barbosa. Barrerius. Seuer. de Faria.

Sampajus apud Bolandum S. I. in Actis S. S. ad diem x. Ianuarij, in vita S. Gondicali de Amarante; Emanuel de Faria Sousa, in Epitome Hist. Lusitan. parte 2. c. 2. Emanuel de Campis, in Narratione Relig. Vlyssippon. pag 377. Georgius Cardesus in Officio. S. S. Lusitan. c. 27. & in Agiolog. initio §. 9. Ioannes Francus Barretus, in Bibliotheca Lusitan. *Sampajus.* *Faria de Sousa* *De Campis.* *Cardesus.* *Francus.*

Ad externos deinde gradum faciamus, ne leuis nostrorum authoritas, vel suspecta fides habeatur. A Lusitanis stant Genebrardus, in Chronolog. lib. 3. Anno 369. pag. 415. Onuphrius Panuinius, in Chron. Anno 369. & in vitis P. P. Rom. sub Damaso. Iacobus Gualter. S. I. in Chronogr. Seculo 4. Anno 368. Ioannes Chenu, in P. P. Rom. Petrus Frizon, in Gallia Purpurata, in Elencho P. P. Roman. & Persecution. Coriolanus, in Summa Concil. initio, cùm P. P. Rom. Catalogum texit: & in Chronolog. P. P. & Cardinal. Vntefrius, citatus ab Antonio Vasconcellio. Angelus Rocca Sacrario Pontificio Romæ Præfectus, lib. de Biblioth. Vatican. Anno 1590. Ioannes Gabriel Bisciola S. I. in Compend Annal. Baronii, ad Annum 367. Ioannes Baptista Caualler. in P. P. Rom. Dominicus Tempesta, in vitis P. P. Antonius Cicarellus in vitis P. P. Rom. Fr. Ludouicus Iacobus à S. Carolo, in Biblioth. P. P. l. 1. Petrus Opmeerus Batauus tom. 1. Operis Chronogr. Anno 368. *Genebrard.* *Panuinius.* *Gualterius.* *Chenu.* *Frizon.* *Coriolanus.* *Vntefrius.* *Angelus Rocca.* *Bisciola.* *Caualler.* *Tempesta.* *Cicarellus.* *Opmeerus.*

Greger. Tolo-san. Spondanus. Christoph. Gemma. Gregorius Tolosanus, in cap. Conquerente, cap. 2. n. 4. Spondan. tom. 2. ad Annum 1455. Christophorus Gemma in Chronolog. P. P. Rom. *Petreius. Brandius.* Theodorus Petreius, in Chronolog. P. P. & Imperator. Ioannes Antonius Brandi in Chronolog. P. P. Roman. Eamdem sententiam datis ad me litteris comprobarunt Illustrissimus D. D. *Iozeph Maria Suarez.* Iozeph Maria Suarez, Vasionensis in Prouincia Auenionensi Episcopus, in sacris ac profanis litteris eruditissimus, & *Theoph. Raynaud.* Theophilus Raynaudus nobilis hac ætate nostræ Societatis Scriptor. *Tamayus Salaz.* quapropter Ioannes Tamayus Salazarius de quo suprà cum laude meminimus, in Martyrologio S. S. Hispann. non sine iniuria veritatis, ità scribit ad xi. Decembris: *Damasus* natione Hispanus ex Mantua Carpetanorum, vt plurimorum sententia, & communior est, oriundus. Plures quippe, nec ignobiliores nostræ sententiæ Authores feruntur, cùm externi, quibus meritò fides haberi debet, vtpotè qui sincerè, & nullo præoccupati affectu scripserunt; tùm nostrates Lusitani; &, quod caput est, Castellanorum nobilissimi hac in parte cum Lusitanis conueniunt.

Grauissimis Scriptorum testimonijs magni ponderis rationes addamus. Sanctę & indubitatæ fidei Breuiaria Bracharense & Eborense, Damasi Lusitani vitam per lectiones digestam habent. Ecclesia Bracharensis, qua nulla per Hispa-

Hiſpanias vel antiquior, vel ſanctior, vel illuſtrior reperitur, anniuerſariam Damaſi P. P. celebritatem, tãquam in eadem Prouincia nati; xi. Decembris die, officio, & Miſsâ propria colit. Vimarani, feſta Damaſi dies à multis retrò ſeculis agitur, & illius nomen pueris recens natis, cùm ſacro fonte abluuntur, frequentiſsimè imponi conſueuit, vt ab ipſis incunabulis in ciuem ſuum amorem, & venerationem cum lacte hauriant. Petraluæ (Caſtrum hoc nomine appellatur in Prouincia Interamnenſi, proximum Vimarano) ſpectantur adhuc domus vetuſtæ rudera, quam fama eſt incoluiſſe Damaſi P. P. parentes. Extat Conimbricæ in Tabulario Regij à Sancta Cruce Cœnobij liber antè quingentos annos manuſcriptus, dictione inculta, ſed ſincera, in quo diſertis verbis *Damaſus Luſitanus* dicitur. Inuictum prætereà huiuſce rei argumentum à traditione deſumitur; quæ multis antè ſeculis incepit; & continuo ductu per conſequentium annorum ſeriem Vimarani, Bracharæque retenta ad noſtra vſque tempora fluxit, & Damaſi in Luſitania patriæ, certam, & integram fidem facit: huius autem tanta vis eſt, & authoritas, vt non alijs indigeat vel ſcriptorum teſtimonijs, vel rationum ponderibus, quibus nitatur: ſua enim virtute ſtat, & rem ſatis probat.

Ioan. Barrius Surec. De Antiq. Interamn. c. 13.

Tabular. S. Cruc. Conimbr. in Luſitania.

Pulchrum tamen Vrbani VIII. Summi P. P. teſtimonium ad rem confirmandam & illuſtran-

Vrbanus VIII. P. P.

Anton. de Moraes. S. I.

dam volo adducere. Venerat in Vrbem Antonius de Moraes S. I. eximiæ probitatis ac ſapientiæ vir, Anno M. D. CXXXIII. Prouinciæ Luſitanæ Procurator. Rebus iam confectis, reditum in patriam adornabat; Pontificem priùs adijt, vt ſalutarem ab illo benedictionem precaretur: multiſque de Societate & Luſitania verbis vltrò, citróque habitis; incidit ſermo de Hymnis elegantiſſimis nuper ab illo eruditiſſimo Pontifice editis: quos cùm laudaret Antonius, excepit Vrbanus: *Nos veſtrum ciuem Damaſum imitamur, qui Martyrum Memorias ſuis olim carminibus illuſtrauit.* Quo quid firmius & ſanctius teſtimonium adduci poteſt ad rem probandam, cùm hoc Vrbani Sapientiſſimi P. P. dictum pro oraculo haberi debeat. Id ſæpe referebat Antonius in patriam iam reuerſus. De his fuſiùs fortaſſè, quàm hiſtorico permittatur, ſcribere volui, quoniam inter recentioris æui Scriptores acriùs exarſit, agitaturque adhuc acri & pertinaci ſtudio de Damaſi natalibus controuerſia. Verumtamen ex ijs quæ diximus ſatis conſtare exiſtimò Damaſum in Luſitania natum: idque ſibi perſuaſurum credo, qui rationes à me adductas, & grauiſſimorum Authorum teſtimonia lentiùs velit expendere, & animo à partium ſtudio alieno, de re tota incorruptè iudicare.

Petr. Crinitus, de Poëtis Latinis, Anno 15 o.

Igitur Damaſus patriâ Luſitanus, parentem habuit Antonium, virum non pietate magis,

quàm genere illuſtrem & quidem quòd auguſtiores vltrà patriam ſpiritus aleret; ac ne intrà illas anguſtias remotæ regionis circunſcriptus maneret, relictâ Luſitaniâ, Romam contendit, commune vniuerſarum gentium domicilium, vt in eo theatro ſe proderet, ac explicaret; & Chriſtianæ Reipubl. commodo ſeruiret. Breui magnam virtutis & doctrinæ opinionem adeptus, tam Romanorum animos atque oculos in ſe conuertit, vt Liberius Pontifex, Conſtantij Imperatoris decreto, Catholicæ fidei cauſâ, in exilium deportatus, ſui Vicarium in vrbe reliquerit. Curauit ſub id tempus Damaſus, vt nonnulli Epiſcoporum, qui Ariminenſi Concilio interfuerant, Actiſque, vel metu coacti, vel ignoratione decepti, ſubſcripſerant, in gratiam cum Rom. Eccleſia redirent, repugnante licet Fauſtino, Luciferianæ ſectæ Presbytero.

Ioann. Franciſc. Barre in M. SS. Annotat.

Vita Damaſi M. SS. ex Biblioth. Vallicell. Lect. 1.

Cùm impia aduerſus Catholicos Conſtantius Arianus arma ſumpſiſſet; & in eos, qui Liberio, Valentis & Vrſacij fautori communicare nolebant, ſine diſcrimine ſæuiret; apud Volam Campaniæ vrbem Damaſus exul egit, donec perſecutionis vis remiſit, & illatâ tranquillitatis luce, ſolis inſtar, orbi illuminando, in vrbem redijt.

Lectione 6.

Liberio è viuis ſublato, ſummus Pontifex renuntiatus eſt, die xv. Septembris, Anno à partu Virginis ccclxvii. quæ communis inter auctores & recepta ſententia eſt. Omnes ferè re-

centiores historici, Felicis II. non Liberij, Damasum Successorem scribunt. Cæterùm Felix, etsi legitimus Pontifex habeatur, eo tantùm tempore legitimum Pontificatum gessit, quo Liberius Arianis fauit, & Athanasij damnationi subscripsit (Hæresis tamen notam Liberio non inurimus) ac in eo interegno Martyrium passus, priùs est mortuus, quàm Liberius ad Pontificatum rediret: quo effectum est, vt is in Petri sedem restitutus, acriter restiterit Arianis, & multos demortuo Felici annos in Pontificatu superuixerit. Idcirco Liberio Damasum suffectum dicunt antiquiores Patres, & historici, Augustinus, Optatus Mileuitanus, Ruffinus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Nicephorus, Callixtus, S. Antoninus, Philippus Bergomas, Sabellicus, Trithemius, Marianus Scotus, Iacobus Florus, Ioannecus Germanus, & Flauij Dextri, dubiæ licet fidei, Chronicon à nobis suprà citatum.

Martyrol. Rom. 23. Iul. Baron: t. 3. An. 357. Bellarm. t. 1. Controu. Lib. 4. cap. 9.

August. epist. 164. ad Generos. Optatus An. 386. Ruffin. l. 2. c 10. A. 392. Theodor. l. 2. Hist. Eccl. c. 22. An. 432. Socrat. l. 4. c. 23. Sozom. lib. 6. c. 26. Nicephor. l. 11. c. 13. Cassiodor. Hist. Tripart. l. 5. c. 29. & l. 9. c. 1. S. Anton. p. 2. tit. 9. c. 2. Bergom. in Supplem. Chron. Anno 1494. Sabelli. Ænead. 7. l. 8. Anno 1494. Trithem. de Script. Eccl. Anno 1504.

Inito Pontificatus, Vrsicinus Diaconus à factiosis Pseudopontifex electus, excitato schismate, Ecclesiæ pacem turbauit. Neque à cædibus, & rapinis, per summum nefas, temperatum, nullo sacri, profanive discrimine seruato: ipsæ quippè Superûm Ædes sauciorum cruore violatæ, & mortuorum cadaueribus repletæ. Donec piâ Imperatorum operâ, & Prætextati, vrbis Præfecti, industriâ, Vrsicini ambitio repressa, & coorta in Damasum P. P. tempestas sedata est; & schisma-

te extincto, vrbi & Ecclesiæ pax reddita. Non multo interiecto tempore alia in Damasum, quasi adulterij reum, calumniarum procella sæuijt Callixti & Concordij astu, atque odio excitata: quem tamen D. Hieronymus, *Virginem, & Ecclesiæ Virginis doctorem* appellat. Damasus, etsi vitæ integritate huiusce criminis labem, infamiamque satis refellebat, vt omnem prorsus culpæ suspicionem auerteret, coacto Romæ Concilio, grauem in sui defensionem habuit orationem; quâ omnium oculis patuit illius integritas, & æmulorum improbitas.

Schott. in Chron. p. 6. l. 2. Florus in Fast. ad Clem. VII. lib. 12. An. 1525. Ioannet. de P. P. Rom. Anno 1570. Hieron. Epist. 50.

Concil. Rom. A. 367.

Priuata domi infamia depulsa, & publico schismate extincto, reuixit foris externum bellum, ex Hæreticorum erroribus conflatum, in quibus damnandis Damasus multus fuit. Auxentius, Mediolanensis Episcopus, re Arianus, simulatione Catholicus, Valentiniani Imper. gratiam malis artibus sibi conciliauerat, & fidei formulam ediderat, Nicæni Concilij Decretis specie conformem, Hæreticorum more; sed re, ac sensu aduersam. Vt Auxentianæ confessionis dolum aperiret, atque exultantis Hæretici audaciam coerceret, Mediolanum venit Hilarius, Pictauiensis in Gallia Episcopus, doctrinâ, & Sanctimoniâ clarus. Imperatoris tamen edicto palàm Auxentio fauentis vrbe discedere coactus est, quasi turbarum auctor, & publicæ tranquillitatis hostis, quo veluti amoto Catholicæ fidei repagulo,

toto sese impetu collectus iamdudùm Arianismus effundens, longè, lateque Insubriam, & finitimas Prouincias inundauit. Iam multos Illyrici Episcopos infecerat, parùmque aberat quin magnam etiam Italiæ partem lues illa corriperet, nî futuro & præcipiti malo præsenti remedio Damasus occurrisset. Conuocato itaque Romam nonaginta Episcoporum Concilio Auxentium damnauit, cum fidei formulâ in Pseudosynodo Ariminensi compositâ: & Synodicas litteras ad Illyrici Antistites scripsit; in quibus illos officij sui seriò admonebat, & ne Auxentij communione se polluerent; sed fidem in Concilio Nicæno incorruptam & sinceram, à Patribus traditam, puram & illibatam retinerent.

Concil. Rom. An. 69.

In alia ab hac Synodo Romæ priùs habita, damnati Valens & Vrsacius, Arianæ factionis Principes, qui Catholicos, & præcipuè Athanasium, Alexandrinum Episcopum, fortissimum Catholicæ religionis Athletam, diris contentionibus exercuerant.

Concil. Rom. A. 368. Authore l'Abbe S. I. Coriolan assignat A. 367. Binius, initio Pontificatus celebratum scribit.

Nulla alia Ætas fœcundior Hæresiarcharum fuit: nulla tot hæreses, ceu monstra peperit. In Occidente Iouinianum, Priscillianum, Heluidium; in Africam multos antè annos se infuderat Manichæorum, & Donatistarum eluuies: manabat id malum quotidie latiùs. In Oriente Apollinaris, Timotheus, Vitalis, & Macedonius, aliique diabolicis acti furijs, bellum Catholicæ

Iouinianus. Priscillianus. Heluidius. Manichæi. Donatista. Apollinaris. Timotheus. Vitalis. Macedonius.

religioni indixerant, & cum viuendi licentia, sanam quoque doctrinam corruperant. Ita continentis incendij more, hæresum pestis toto orbe grassabatur, & florentissimas quasque vrbes flammis inuoluerat, ac deformauerat. Nec supererat restinguendi incendij modus, quoniam Episcopi, quorum maximè intererat reipublicæ saluti consulere, & rectam fidei doctrinam tradere, errorum plerique authores erant; & materiem alendo incendio ministrabant.

Rursùm non Ætas alia feracior fuit virorum doctrina & sanctitate illustrium. Plures hoc vno, quam multis alijs seculis floruerunt. In Oriente Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Amphilochius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Meletius, & Euagrius Antiocheni, Ephrem Syrus, Epiphanus in Cypro insula. In Occidente Idacius, Ambrosius, Philastrius, Optatus Mileuitanus, Damasus, Hieronymus, cuius tùm domi, in exponendis Sacris Litteris, & Ecclesiasticis legibus condendis: tum foris in expugnandis Hæreticis operâ Damasus est vsus. Ita diuini Numinis prouidentiâ, in tempora iniquissima inciderunt Doctores sanctissimi, quos opposuit Sectarum nouarum Auctoribus, vt hæresum monstra conficerent, & religionem Catholicam totis viribus tuerentur, ac promouerent. Ad hæc Theodosius re & nomine *Ma-*

Athanasius. Cyrill. Hierosol. Amphilochius. Basilius. Gregor. Nazia. Greg. Nyssenus. Meletius. Euagrius Antioc. Ephrem. Syrus. Epiphanius. Idacius. Ambrosius.

Philastrius Optatus Mileuit. Damasus. Hieronymus. Theodosius M. Gratianus. Valentinianus. Cod. Theod. l. de Summa Trinit. & Fid. Cathol. Cassiod. l. 9. c 7. An. 382.

ior, Gratianus, & Valentinianus, Imperatores Augusti, quò serpenti in publicam perniciem malo mederentur, solemnem legem sanxerunt, vt gentes Romano Imperio subiectæ in illa se fide continerent, quam Petrus Romæ tradiderat, & Damasus profitebatur.

Claud. Clemens S. I. in Tab. Chron. cent. 4. Ioseph. Ma Suarez. in litt. ad me dat. 4. Kal. Decemb. A. 1661.

Illud scitu dignum est: per id tempus Pontificatum simul & imperium Lusitani tenuerunt: Ab Anno videlicet CCCLXXIX. ad Annum CCCLXXXIV. Damasus quippè in oppido Vimarano; Theodosius in vrbe Cauca, Prouinciæ Bracharensis, nati sunt, vt suo tempore satis probabimus, petitis ab authoritate, ratione, & traditione argumentis: quod rarò aliarum Gentium hominibus contigisse legimus. Scimus, Imperante Seuero Afro, Victorem I. item Afrum, Pontificatum gessisse: & Caium Papam, Dalmatam, Diocletiano Imperatore, Dalmata. Superiori etiam seculo Carolus V. Belga Imperij gubernacula tenuit, & Hadrianus VI. item Belga, Summi Pontificatus Cathedram occupauit.

Concil. Rom. 4. 373.

Anno Christi CCCLXXIII. Damasus Romam Concilium edixit, in quo Apollinarem, Timotheum & Vitalem, eius discipulos, & Sectarios, anathemate perculit, & à cœtu fidelium pertinaciæ notâ infames eiecit. In Arij etiam Sabellij, Eunomij Macedonij, & Photini errores sententiæ fulmen contorsit.

Cæterùm quia pestis hæresum per Orientem ma-

maximè grassabatur & maiora in dies incrementa capiebat, Constantinopolim, Oecumenicum Concilium conuocari curauit, adiuuante inprimis, fauentéque Imperatore Theodosio. Conuenere centum quinquaginta Patres: Eminebant inter cæteros Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, & Meletius Antiochenus, ob eximiam virtutem Theodosio in paucis carus. Petri Frizonis sententiam non probamus, qui Cyrillum Alexandrinum huic Concilio interfuisse existimat: ex Actis namque certò constat affuisse Timotheum, Alexandriæ Episcopum, Cyrillo antiquiorem. Liquet præfuisse Cyrillum Concilio Ephesino I. aduersùs Nestorium coacto, Anno ccccxxxi. Sedente Cælestino I. Imper. Theodosio Iuniore, & Valentiniano III. Eo in Concilio Patres De vnius Fidei confessione pura & illibata consenserunt; & errorem Macedonij reiecerunt, qui per summum scelus, Spiritûs Sancti Diuinitatem negare ausus erat.

Conc. Constantin. 2. Oecumenicum. II. sub Damaso. Anno c. 381. Acta Concil. Cedren. in Com. Hist. pag. 269. Baron. A. 38. n. 17. Frizon in Gall. Purpur.

Acta. Concil.

An. 431. Oecum. III. Concil. Ephes. 1.

Anno ccclxxxii. aliam Romæ Damasus Synodum coegit ad componendas Antiochiæ turbas: tota quippe Vrbs diuisa in factiones abierat, contrarijs ciuium studijs, sententijsque distracta. Alij Meletio Episcopo, & Flauiano eius successori fauebant: Paulino, quem Lucifer Calaritanus Episcopus, Apostolicæ quondam Sedis in Oriente legatus, Præsulem instituerat, studebant alij. Nec facilè discerni poterat, vtri

Conc. Rom. An. 382.

Socrates l. 5. c. 5.

Sozom. l. 5, c. 3.

Baron. ad hunc A.

Spondanus. Gualter. à Seculo 300. ad 400. Binius. Labbe in Synopsi Com. 3. Typogr. Reg. Par.

parendum esset Episcopo, cùm vterque idoneas sui iuris causas allegaret. Damasum certè, & consequentes P. P. Romanos à Paulini, & Euagrij, qui illum in episcopatu proximus excepit, partibus, stetisse comperimus. Itaque in omnes se vertebat partes Sanctissimus Pontifex, vt afflictis Ecclesiæ rebus subueniret & religionem Catholicam sartam tectam conseruaret. Ob hæc præclara tuendæ fidei studia, non solùm Petræ nomen, quod Petro, & reliquis P. P. commune fuit, sibi peperit: sed *Adamantis*? quo quid præstantius significatur, à Sexta Synodo proprium accepit.

VI. Synodus Act. 18.

Hæreticis damnatis, & confutatis erroribus, in optimum Reipubl. benè formandæ modum, animum, curasque conuertit: Prauas consuetudines auellere, quæ sensim obrepserant, & altas, hominum incuriâ, radices egerant; sanos mores inserere, Coepiscopos in officio continere, qui nimium sibi authoritatis arrogabant; & modum ponere, ne in alienam segetem falcem mitterent: Africæ Episcopos per litteras admonere, vt grauiores causas ad Rom. P. P. deferrent, & eiusdem sententiæ starent. Rectam benè viuendi normam Catholicis tradere: & ad pietatis studium cùm verbo, tùm exemplo incitare. D. Hieronymum à secretioribus consilijs habuit & Sacrarum Litterarum interpretem: tantoque Doctore vsus est in Epistolis conscribendis, dandisque responsis Catholici orbis Episcopis, qui de quæstionibus

difficillimis Rom. Pontificem consulebant: illumque impulit vt Sacrorum Librorum versionem perficeret, quam Apostolica auctoritate confirmauit. Bibliothecarij dignitatem, munusque in Ecclesia Romana primus instituit, quæ Hieronymo demandauit. Breuiarium à Damaso, Ambrosio & Hieronymo correctum tradit Genebrardus ex Sigeberto & Radulpho Tungrensi, Sacrum psallendi alternis ritum, & Psalmos terminandi cum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, à Damaso inuentum, & Ecclesiæ Rom. traditum, nonnulli Authores affirmant. Verosimilius tamen est ab Apostolis duxisse initium, & ad nostra tempora, perpetuâ, & nunquam interruptâ consuetudine, promanasse, cuius meminit Iustinus Martyr & Tertullianus, Damaso antiquiores, Lucianus item & Plinius, Scriptores Gentiles, qui sub Traiano vixerunt. A Damaso certam aliquam Psallendi methodum Ecclesiæ Romanæ præscriptam, cum Baronio suspicamur. Primus in Litteris Apostolicis solemnem illum titulum vsurpauit, *Seruus Seruorum Dei.* quo posteà Gregorius Magnus, & consequentes P. P. Romani frequentiùs vsi sunt; sibique proprium, ac familiarem fecerunt, itaut Sacra Paparum Diplomata semper eo sint titulo insignita.

In Damaso primùm Pontificiæ & Regiæ dignitatis insignia, & ornamenta coiuerunt. Compertum quippè est Siluestrum P. P. modestiæ cau-

Cæsar Rassonus. De Basil. & Patriarch. Lateran. l. 3. c. 16.

Genebr. t. 1. in Psalm. post præfat. ad Lectorem.

Vualfrid. de Rit. Eccles. cap. 21.
Luitprand. in Damaso.

Iust. Mart. in orat. ad Anton.
Tertull. l. 2. ad vxor. c. 5.
Lucian. in Philopatro.
Plin. lib. 10. epist. 98.
Baron. ad An. 384.

Barbosa in Collectan. tom. 2. initio.
Anast. Germ. tr. de Indult. Cardin. §. Seruus seru. D. Theoph. Ragn. S. I. in Corona Aurea, seu Onomast. P. P. 11. Seruus seruorum Dei.

Fr. Francis de Placed. in M. S.S. Comment. De Regia P. P. dignitate. Innocent. III. serm. 1. de B. Siluestro. Darius d'Attichy in Praamb. ad Flores C. C.

sâ, vti noluiſſe coronâ Regia, ceu Regno; ſibi à Conſtantino Byzantium ſecedente, oblato: quatuor alios P. P. Marcum, Iulium, Liberium, & Felicem maluiſſe hanc Siluestri modeſtiam imitari: ac inſuper ijs propter multas & graues cum Arianis contentiones, & Conſtantij Imperatoris perſecutiones, ne cogitare quidem de imperij dignitate licuiſſe, cum vnus ex ijs Felix Martyrum ſubierit. Tot prætereà inciderunt occaſiones hæreſum & ſchiſmatum, turbantibus orbem Arianis & Semiarianis, vt vix ijs ad reſpirandum locus, nedum ad imperandum fuerit. In Damaſo Pontificia & Regia Dignitas primùm coniuncta enituit, & plenum Maieſtatis ſplendorem explicauit. Et quidem ille, vt potè Luſitanus, genio Gentis, quæ in peragendis, ornandiſque Sacris ſplendidiſſima & religioſiſſima habetur; Pontificio muneri decus regium adiunxit, & Eccleſiaſtica officia nitore gloriæ veſtiuit; adeò vt Ethnicis inuidiam mouerit, qui concepto ex illo Chriſtianæ Religionis incremento, dolore, in conuitia proruperunt, & Damaſo luxum, faſtumque temerè obiecerunt: quemadmodum videre eſt in Ammiano Marcellino illius temporis Scriptore Gentili, à quo Damaſus ob diuitias, & ſplendorem cultûs, victûs, inceſſûſque taxatur, perindè ac Majeſtatem regiam præſeferret. Sed hoc ille calumniæ genere, authoribus Baronio & Binio, profecit, vt cognoſcant poſteri Chriſti

Ammian. lib. 27.

Baron. ad An. 367.

Seuerin. Binius.

Sacerdotium iam tum, vaticinante id Petro, regale esse cæpisse, cuius in Damaso insignis certè species fuit. Vndè Prætextatus, vir Consularis, apud Hieronymum dicere per iocum solitus erat: *Facite me Romanæ Vrbis Episcopum; & ero protinùs Christianus.* Quo indicabat vltrà prætextam & Laticlauium Pontificiam ire dignitatem; ac breui fasces & secures antecessuram.

1. Petr. c. 2. n. 9.

Hieron. epist. 61.

Basilicas duas Damasus ædificauit, quas pretiosis ex auro, argentoque donarijs instruxit. Alteram ad Theatrum Pompeij, Laurentio Martyri dicatam, quam in Titulum erexit, & Collegium Presbyterorum ibi instituit, qui sacris operarentur. Viâ Ardeatinâ alteram, atque in hanc deferri curauit defunctæ Matris & Sororis corpora, & idonea Sepulchro Epitaphia inscripsit. Basilicam S.S. Rufinæ & Secundæ ad Siluam candidam, quam Iulius Marci successor, inchoauerat, & imperfectam reliquerat, ad vmbilicum perduxit. Ad Catacumbas, vbi Principum Apostolorum Petri & Pauli corpora in tenebris diu iacuerant, monimenta situ obsita, detersit, ac expoliuit. Pauimentum tabellis marmoreis instrauit, & parietes vestiuit. Martyrum Lipsana idoneis repositorijs inclusit, & politissimis versibus Memorias ornauit. Fontem etiam Baptisterij ad Basilicam Vaticanam olim copiosè manantem, & aliò, temporum iniuriâ fractis canalibus, diuertentem, reuocauit, & iusto loco restituit. Aliâ

Vita M. S. S. Damasi in Biblioth. Vallicell. Lect. 12.

prætereo publicæ tum pietatis, tum magnificentiæ opera, quæ multis in locis ad communem fidelium vtilitatem condidit; longum quippè esset singula commemorare. Præclara item miracula patrauit, quibus Deus illius Sanctitatem posteris commendatam esse voluit.

Hieron. de Scri. Eccles.

Confecta denique iam ætate senex, propè Octogenarius obijt Romæ III. idus Decembres, Anno CCCLXXXIV. Impp. Valentiniano Iuniore, ac Theodosio seniore, eodem quondam mense celebrauerat ordinationes quinque, in quibus creauit Episcopos LXV. vel LXII. vt alij malunt, Presbyteros XXXI. Diaconos XI. De Annis, quibus sederit, discordes inuenio Authorum sententias. In Pontificali Romano, & in vita Damasi M. S. S. quæ in Bibliotheca Vallicellana asseruatur, traditur sedisse Annos XVIII. menses III. & dies XI. consentit vetustus codex M. S. S. Basilicæ Vaticanæ: idque testantur antiquæ picturæ Basilicæ S.Pauli, via Ostiensi, vt pleniùs describit Marcus Milesius Sarazanius, in Notis ad Carmina Damasi editis Romæ, & plurium Scriptorum testimonia. Cæterum re accuratè examinatâ, illa nobis sententia magis probatur, quæ affirmat sedisse decem suprà septem annos, menses duos, & dies viginti sex: quod, habita iusti temporis supputatione, constat: Anno quippè CCCLXVII. die XV. Septembris Pontificatum adijt, vt à nobis suprà dictum est; vixit ad Annum CCCLXXXIV. dieque Decem-

Pontificale Rom. Vita Damasi M.S.S.

Tabular. Basil. Vatic.

M. Milesius. Sarazan.

Baron. ad An. 384. Vghell. t. 1. Ital. Sacra in Elench. P. P. Roman. Gener. Binius.

bris xi. viuendi finem fecit: ex quibus perſpicuum fit aſſignatam à nobis Annorum periodum confeciſſe. Conditus eſt temporario monumento in Baſilica, quam viâ Ardeatinâ ædificauerat, propè matrem ac ſororem. Indè; procedente tempore, in Baſilicam S. Laurentij ad Theatrum Pompeij tranſlatus, quæ accepto ab Authore nomine, *S. Laurentij in Damaſo* ad hanc, vſque diem appellatur. Quo Anno & ſub quo P. P. hæc Tranſlatio contigerit certò non conſtat. Damaſi caput ad S. Petrum: Brachium ad S. Thomam *de Parione* dictum, magno populi Rom. concurſu, & religione colitur. A Ioanne IX. P.P. Sacri corporis particula dono data eſt Baſilicæ S. Nicolai in carcere Tulliano.

Spondan. An. 384. Gualt. in Chronol. Labbe à nobis non benè diſſentit vna aut altera die, in Synopſi, & de ſcript. Eccleſ.

M. Mileſ Sarrazan. Vgonius. Serranus. Vita Damaſi Romæ edita. Anno 1638.

Noſtra demum ætate Anno ſalutis humanæ M.DC.XXXIX. Vrbano VIII. P.P. Max. Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus S.R.E. Viceecancellarius, & S. Laurentij in Damaſo Titulo inſignitus, religione motus, dum illius Baſilicæ abſidem auguſtiorem reddere moliretur, amota veteri loco Arâ, ſub qua Damaſi corpus conditum dicebatur, repertum eſt, ligneâ capſâ ad ſpeciem monumenti compoſitâ, vnâ cum S. Eutychij M. reliquijs, huiuſcemodi Epitaphio:

Card. Barberini pietas eximia.

Pauli Atiringhus in Roma Subterranea tom. 1. l. 1. pag. 471.

Sub hoc Altari condita ſunt
Corpora S. Damaſi P. P. & Conſ.
Et S. Chriſti Martyris Eutichij.

Anno M.DC.XLV. pridiè Kal. Septembres, qua

die memoratæ Basilicæ anniuersaria Dedicatio celebratur, vigiliis solemni ritu peractis, noua & eleganti Ara erecta, variis è pretioso marmore cælaturis elaborata, & Apum ex auro volantium (Gentis Barberinæ id Symbolum est) ornatu mirifico decorata, intra æneam arcam inclusum Damasi corpus, cum reliquijs Eutychij M. pia Cardinalis manu ibidem repositum fuit, hac inscriptione:

Diuis Damaso Pontifici
Et Eutychio Martyri
Franciscus Cardinalis Barberinus
S. R. E. Vicecancellarius
Æneum hoc sepulchrum condidit,
Post extructam
A fundamentis in honorem
D. Laurentij
Et horum S. S. Marmoream
Templi Absidem
Vt ipsi de eius salute solliciti sint.
Anno M. DC. XXXXV.

Cæterùm Damasus, dum in viuis esset, hisce carminibus Epitaphium sibi posuit.

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Viuere qui præstat morientis semina vitæ,
Soluere qui potuit Lazaro sua vincula mortis;
Post tenebras fratrem, post tertia lumina solis
Ad superos iterùm Mariæ donare sorori,
Post cineres Damasum faciet, quia surgere credo.

Fuit

Fuit Damaſus Græcis ac Latinis litteris apprimè eruditus. Multa nitidè ſcripſit cùm proſâ, tum verſu. De Fide aduerſus Hæreticos librum vnum : complura Poemata & Epitaphia quæ in vnum volumen collecta in lucem prodierunt Baſileæ, cum veterum Poetarum operibus à G. Fabritio correctis. De Trinitate libellum compoſuit : extabat Conſtantinopoli, teſte Antonio Verderio, & Antonio Poſſeuino : Epiſtolas varias pietatis & prudentiæ plenas ; quæ habentur tom. I. Concilior. cum notis Seuerini Binij, & quatuor Concilijs Rom. ac Fidei profeſſione, aduerſus Apollinarem, alioſque Hæreticos. Plures Epiſtolas recenſet Philippus Labbe S. I. vir erudititiſſimus, in Synopſi P. P. & Concilior. Eloquia Sanctorum, auctore Damaſo, reperies in VIII. tom. Bibliothecæ Patrum. De Virginitate pulchras edidit lucubrationes. Circumferuntur carmina Damaſi P. P. in Dauidis Pſalmos, ex Bibliotheca Geſneri. Miſſa de S. Nicolao Epiſcopo, à Damaſo compoſita, in illius feſto celebrari conſueuit Romæ, ad S. Nicolaum, in carcere Tulliano. Ipſius decreta leguntur apud Gratianum, Yuonem Carnotenſem, Binium, & alios Authores, quæ M. S. S. cuſtodiuntur in Bibliotheca Vaticana.

De Authore libri, in quo vitæ Rom. P. P. deſcribuntur, & Damaſo vulgò attribuitur, non leuis eſt inter ſcriptores contentio. Papyrius

Maſſonus, Ciaconius, Ioſeph Maria Suarez, Epiſcopus Vaſionenſis, Fr. Ludouicus à S. Carolo, Damaſum Portuenſem Epiſcopum, illius Auctorem eſſe exiſtimant. Baronius & Panuinius à pluribus conſcriptum cenſent. Bellarminus, Aubertus Miræus, M. Vuelſenus, Auguſtanæ vrbis Duumvir, Gerardus Ioannes Voſſius, & Philippus Labbe, ab Anaſtaſio Bibliothecario compoſitum affirmant. Martinus Polonus, Landulphus Columnius, Trithemius, Platina, Ioannes Stephanus Durantes, Petrus Crabbe, Blondus, Bibliotheca Hiſpana, Anonymus de Benuoglientis, Paganinus, Gaudentius, Ioannes Tortellius, Matthæus Syluagius, & præ cæteris fuſiùs, Florauantius Martinellus, à Damaſo, vel Damaſi mandato, à pluribus ſcriptum ſentiunt. Nobis ea ſententia verior videtur, quæ ab Anaſtaſio Bibliothecario, ex parte, ex parte ab alijs Auctoribus, compoſitum aſſeuerat.

Damaſi opera enumerantur à S. Hieronymo, Trithemio, Baronio, Bellarmino, Molano, Poſſeuino, Fabiano, Vuerſtero, Iuſtiniano, Roleuincho, Vvernero, Iacobo Gualtero S. I. D. Antonino, Georgio Lilio, Genebrardo, Taxandro, Crinito, Auberto Miræo, Andrea Schotto, Franciſco Halleno, Bibliotheca Hiſpana, Seuerino Binio, Philippo Labbe S. I. Gerardo Ioanne Voſſio, Ioanne Franco Barreto, Abbate Iuſtiniano, & tom. 3. Concilior. Edit. Ty-

pogr. Reg. Parisiens. alijsque; quos breuitatis causâ omittimus; Multa in vnum volumen congessit, & Romæ prælo mandauit Comes Fridericus Vbaldinus, cum notis M. Milesij Sarazanij Anno M. DC. XXXVIII. Auctiora & elimatiora, cùm per tempus licuerit, in lucem dabit Illustriss. Suarez, de quo sæpè meminimus, in opere quod molitur. *De Damaso, Adamante Fidei, aduersus calumnias Marcellini & Faustini adserto.*

ANNO 1276.
ad An. 1277.

IOANNES XXI.
P.P. MAX.

IOANNES XXI. (& si duos Antipapas, XVI. à Crescentio intrusum, & XX. Rom. Sedis inuasorem excludamus) numerandus XIX. Magister Petrus Hispanus & Petrus Ioannes, ante adeptum Pontificatum nominatus, Vlyssipone, regia Lusitaniæ vrbe, natus est. Parentem habuit Iulianum, animi dotibus magis, quam fortunæ opibus illustrem; à quo filius Iuliani cognomen traxit. A teneris excelsam nobilioris ingenij indolem præ se tulit, atque ita sese liberalibus artibus exercuit, vt nemo eo auidiùs & ardentiùs litteris operam nauaret. Iusto annorum spatio in Philosophicis disputationibus consumpto, in Medicinæ studium, & Mathematicarum artium maximè incubuit: & breuî inter æquales excelluit; omniumque suffragijs, dignus, qui Doctoratus laurreâ donaretur, est iudicatus. Lutetiæ Parisio-

Acunha in Hist. Brach. cap. 35. p. 2.

Eman. Seuer. de Faria. de Card. Lusit. §. 4.

rum litteris operam dedisse putamus; tum quia ferreâ illa ætate, qua Ioannes vixit, minimè vacabat Lusitanis, diuturnis, ac periculosis Maurorum bellis implicitis, animos armorum contentionibus distractos, ad litterarum exercitationes reuocare, donec parta iam pace, & compositis rebus, Dionysius Princeps laudatissimus multis post Ioannis obitum annis, Academiam Conimbricensem instituit, omnium scientiarum studijs florentissimam: Tum quia nobiles scriptores Galli, Andreas du Chesne, Petrus à S. Romualdo, & Gabriel Naudæus, disertis verbis affirmant, extare quædam Artis Medicæ documenta tuendæ valetudini idonea, quæ Ioannes dum studeret Medicinæ, Blancæ Sanctissimæ Reginæ Galliæ, D. Ludouici matri, præscripsit: atque inter alia tradit se in Parisiensi Academia Medicis disciplinis studuisse; ad quam soliti olim Reges Lusitaniæ, propter illius celebritatem, ac frequentiam, optimæ indolis Adolescentes, studiorum causâ mittere, quos regijs impensis alebant, vt ad morum, & doctrinæ normas probe instructi, quas ibi Artes in scientiarum parente, ac fonte hausissent, easdem suo deinceps tempore in patriam redeuntes effunderent, atque alijs communicarent.

Annal. Lus. in Dionysio R.

Acunha de Epi. Vlysipp. p. 2. c. 74. D. du Chesne. in Ioanne Petr. à S. Romualdo. p. 3. Thezauri. Chronol. & Hist. Anno 1276. Gabr. Vaudaus V. C. Iacob. à S. Carolo in Biblioth. Pontific. Annal. Reg. Lusitan.

Illustrissimus D. Rodericus Acunha, Archiepiscopus primùm Bracharensis, posteà Vlysipponensis, in quo pietas cum doctrina de digni-

Acunha. in Hist. Brach. c. 35. n. 1.

tate certauit, litteris prodidit, Ioannem in Montispessulani Gymnasio, Medicarum Artium studijs insigni, Medicinam didicisse. Cæterum ab scriptoribus Gallis, non tam dissentire videtur, vt non facilè cum ijs conciliari possit, si interposito iudicio censeamus, partim studuisse Parisijs, partim Montepessulano.

Litteris perfectè excultus, & in patriam reuersus, in Maiori Vlysipponis templo amplum sacerdotium, virtutis causâ, obtinuit. Nec diu in patria sibi immorandum putauit, peregrinationum memor, quas per Galliam, & alias Europæ regiones instituerat, non modica accessione virtutis, & animi oblectamento. Italiam cogitauit, vt in principe orbis Prouincia, comparatis ingenij, ac doctrinæ præsidijs ad summas dignitates viam sibi muniret. Hac igitur mente Vlysippone profectus, cò se contulit. Ac breuî illius sapientiæ, & probitatis fama Italiam ferè totam peruasit: Eum ergô Gregorius x. qui tum præerat Ecclesiæ, in Sacrum Cardinalium Senatum cooptauit, & Episcopum Tusculanum dixit. Quo liquidò apparuit, in Curia Pontificia vnius virtutis, ac doctrinæ rationem haberi, cùm amplissimæ dignitatis honos homini peregrino, sed ingenio præstanti, omnium approbatione, deferretur. Quatuor alios excellenti doctrina, & pietate viros, cum Ioanne Gregorius Cardinales creauit: Vicedominum de Vicedominis, Placentinum, suum ex Sorore

Nepotem, Episcopum Cardinalem Prænestinum Bonauenturam, Minoritarum Generalem, Episcopum Cardinalem Albanum; Petrum de Tarantasia, ex Prædicatorum familia, Episcopum Cardinalem Ostiensem, qui posteà ad Pontificatum euectus, Innocentij quinti nomen desumpsit; & Beltrandum, Archiepiscopum Arelatensem, in Gallia, Episcopum Cardinalem Sabinensem.

De Anno Creationis, grauis est inter scriptores discordia. Ptolomæus Lucensius, Aubergus; Andreas du Chesne, creatos Cardinales existimant Anno MCCLXXII. nec dissentit Spondanus in Annalibus ad Annum MCCLXXIX. n. XI. Matthæus Vvestmonaster. Villanus, Author Editionis Conciliorum ex Typograh. Reg. Paris. in vita Gregorij x. præuia Concilio Lugdun II. quæ habetur tom. XX. Concilior. Panuinius, Ciaconius & Acunha, in Concilio Lugdun. purpurâ donatos affirmant Anno M. CC. LXXIV. Cæterùm Historia M.S.S. Placentiæ, quæ vetustate ipsâ fidem conciliat; & vita M.S.S. Gregorij x. quæ custoditur in Tabulario Ecclesiæ collegiatæ S. Antonini, eiusdem vrbis, Coriolanus, in Summa Concilior. Petrus Frizon in Gallia Purpurata, Ludouicus Donius d'Attichy, Marianus lib. 3. c. I. Sammarthani fratres, in Gallia Christiana, Petrus Maria Campius, Canonicus Placentinus, in vita Gregorij x. Siluester Petra Sancta S. I. Ferdinandus Vghellus, Cardinalis Bellarminus, de Scriptoribus Ecclesiast.

Ptolom. in Chr. & Annal.
Du Chesne in Greg. x.
Aubery p. I. pa. 318.
Spondanus n. XI.
Matth. Vvestmonaster. in Annal. An. 1274.
Villan. lib. 9. c. 118.
Vita Gregorij x. pag. 519.
Panuinius in Greg. x.
Ciaconius.
Acunha, in Hist. Brach. cap. 35. a. n. 3.
Hist. M.S.S. Placentiæ vita M.S.S. Gregorij x.
Coriolan. pag. 842.
Frizon lib. 2. pag. 240.
Donius tom. I. Flor. Card. S. R. E. in S. Bon.
Marianus.
Sammarthani. pag. 60.
Campius, in Vita Greg.
Petra Sancta cap. 9. ibi & in notis ad cap. 21.
Vghellus t. I. Ital. Sacr. in Episc. Tusculan.
Bellarm. in S. Bonau.

scribunt promotos ad Cardinalatum Anno M. CCLXXIII. aut (quod verosimilius est) antequam Gregorius ad Lugdunense concilium se conferret. Dictis accedit Bernardini Corij, illius temporis scriptoris auctoritas: in Historia Mediolanensi narrat, *Gregorium Mediolano ad Concilium transeuntem, secum in curru habuisse itineris socios, Bouauenturam, & Vicedominum, Cardinales.* Quibus accuratè exploratis, statuimus cum Vvadingo, diligenti admodum scriptore, in vrbe veteri, quam vulgò dicimus *Oruieto*, P. P. Romanorum olim bellis ingruentibus, sede, arceque, in Sacrum Collegium cooptatos Anno M. CC. LXXIII. quamquam Spondanus, aliorum Authorum vestigijs insistens, tradat Viterbij Cardinales creatos.

Bernardinus Corius Anno 1273.

Vvading. in An. Minor. tom. 2. An. 1273. n. 11.

Spondanus iam citat.

Archiepiscopum Bracharensem in Lusitania, fuisse Ioannem, magni nominis Historici prodiderunt; extareque huiusce dignitatis memoriam in publicis tabulis Donationis factæ ab Alphonso III. Rege Lusitaniæ, Gondiçalo Garsiæ Signifero Maximo, Anno M. C. CLXXIII. propria Ioannis manu in hanc sententiam subscriptæ. *Petrus Iulianus Electus Bracarensis confirmat.* Eiusdem fere sensus epistola Perusij in Italia ad Bracharenses data, religiosè seruatur in Tabulario Collegij Conimbricensis Societatis Iesu.

Acunha cap. 35. a. n. 4. Ciaconius in Gregorio X. Brandan. l. 15. c. 42. Cosm. Megallian. S. I. in libr. Iosuè. Barrius Iurisconsult. in suis M. S. S. Gaspar. Alun. Lousada in suis item M. S. S. Tabular. Colleg. Conimbr.

His repugnare videntur quæ in Regest. Vaticano traduntur; Ioannem videlicet à Capitulo Bracharensi electum, ac postulatum fuisse, sede illa

Regest. Vatican. ep. 3 . dat. Belicardi 18 Maij. P. P. Anno. IV.

illa vacante, Antiſtitem; ſed Capituli precibus aſſentiri noluiſſe Pontificem, creato paulò ante Ioanne Epiſcopo Cardinali Tuſculano, ne in vnum duo Epiſcopatus coirent; quod Rom. Eccleſiæ legibus ſeuerè admodùm cauebatur. A confirmando igitur Archiepiſcopo electo Gregorius prudenter abſtinuit: & Bracharenſis Eccleſiæ curam, mùnuſque, de plenitudine poteſtatis, Ordonio Luſitano demandauit, qui per id tempus Belcairi (oppidum id eſt ad ripam Rhodani in Gallia) cum Pontifice verſabatur. Iis conſentanea tradit Vghellus in Ordonio Cardinali Epiſc. Tuſcul. & Vuadingus in Annal. Minor. Hæc ſanè difficultas non parùm ſcribentis ingenium torſit, atque in vtramque partem verſauit, vt re benè examinatâ, ferret pro veritate ſententiam. Non leuibus igitur coniecturis ducti ſuſpicamur Ioannem P. P. de quo ſcribimus, Bracharenſem Præſulem non fuiſſe; cùm multis, antequam eueheretur ad Cardinalatum, annis in Italia moraretur. Verùm qui hac ſcribendi ratione regeſti Vaticani auctoritati detrahere videmur, mediâ inſiſtimus viâ, dicimuſque, à Capitulo Bracharenſi electum, ac poſtulatum Archiepiſcopum, quod ſatis eſſe videbatur, vt vulgò diceretur, inſcribereturque *Archiepiſcopus Brachar. Electus*, cuiuſmodi inſcriptionem præſert Donatio ab Alphonſo Rege facta; & Epiſtola Peruſij ſcrip-

Vghell. t. 1. in Epiſc. Tuſc. Vuad. t. 2. Anno 1278.

ta: qui loquendi, & ſcribendi mos in ſolemnem veluti legem iam tranſiuit: electos quippè, vel nominatos, communi ſermone *Epiſcopos* vocamus. Verumtamen Rom. Eccleſiæ ritu, nonniſi poſt Confirmationem à Chriſti Vicario obtentam, ſunt & inſcribuntur Antiſtites. Ioannem igitur Archiepiſcopum Bracharenſem cum Luſitanis dicimus, quia à capitulo Bracharenſi legitimè electus eſt; cum Romanis negamus, quia eius electio à Gregorio P. P. habita non fuit firma, rataque.

Concil. Lugdun. II. Oecumenic. XIV.

Epiſtolam ad Bracharenſes Peruſii à Ioanne datam Anno M.CC. LXXIV. legitimam eſſe putamus. In qua examinanda, & tempore, quo durauit Concilium Lugdunenſe, ſupputando, Acunha deceptus eſt: vtpotè qui ſibi perſuaſit fieri non potuiſſe, vt Ioannes vno, eodemque Anno M. CC. LXXIV. Concilio in Gallia coacto, interfuiſſet, & litteras Peruſij, in Italia, à Lugduno, longo terrarum ſpatio diſiuncti, ad Bracharenſes dediſſet: cum cæptum ineunte Majo Concilium, *inquit ille*, in reliquos anni currentis menſes, & in ſequentis anni partem, ad magnam rerum molem componendam, neceſſariò tenderetur. Compertum tamen eſt, primam Concilij Seſſionem incidiſſe in ſeptimam diem Maii, anni ſupra citati; & decimâ ſeptimâ die Iulii eiuſdem anni, habitam fuiſſe vltimam. Concilio abſoluto menſe Iulio, & conſtitutis

Acta Concil. Lugdun. II.

Anno 1274.

vtcumque Lugduni rebus, temporis ſatis ſuper erat ad finem vſque eiuſdem anni, vt Ioannes commodè Peruſium ſe conferre poſſet, indeque ad Bracharenſes litteras daret.

Minus nobis negotij faceſſit Sancius hoc nomine II. quem Acunha Ioannem inter, & Ordonium Archiepiſcopum interſerit: De quo pleniùs ſcripſimus in Ordonio, Cardinali, Epiſcopo Tuſculano. Hæc inculcaſſe ſatis ſit; quorum iudicium rerum Luſitanorum peritioribus libenter permittimus.

Acunha Hiſt. Brach. cap. 37.

Quæ Ioannes geſſerit dum Epiſcopi Cardinalis Tuſculani onus, munuſque ſuſtinuit, ſilentio inuoluta, noſtrates maximè Scriptores reliquerunt. Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. interfuiſſe legimus, & à dextro Pontificis latere ſediſſe cum Petro Portuenſi Vicedomino Prænestino, Bonauentura Albanenſi, Petro de Tarantaſia, Oſtienſi, & Bertrando Sabinenſi Epiſcopis Cardinalibus.

Acta Concil. Lugdun. II. Tom. XXVIII. Concilior. edith. Reg. Typogr. Paris.

Bzouius A. 1274.

Fato conceſſit Viterbij Adrianus V. anno humanæ ſalutis M. CC. LXXVI. die XVIII. Auguſti. In demortui locum ſubrogatus eſt Ioannes, Septembris die XIII. eiuſdem anni. Abrahamus Bzouius, & Author Editionis Concil. ex Typographia Regia Pariſienſi, diem XV. aſſignant, qua Damaſum, item Luſitanum, ad Pontificatum aſſumptum Sacri Annales teſtantur. ſeptima à creatione die, inſignia Pontificatûs ſuſcepit in Principe

Philip. L'abbe S. I. in Synopſi. Panuinius. Ciaconius. Spondan An. 1276. n. 5. Raynald. tom. 14. An. 1276. Bzouius tom. 13. Anno 1276. Edit. Reg. tom. citato.

Acunha p. 2. c. 36. n. 2. Barbosa in collectan. Decret. tom. 1. pag. 2.

vrbis templo, Laurentio Martyri dicato. *Ioannis* nomen retinuit; atque Adriano VI. & Marcello II. qui multis post annis Pontificatum gesserunt, præluxit exemplo retinendi nominis, quod in priuata fortuna habebant; minimè seruato reliquorum P. P. mutandi nominis ritu; parùm interesse credens, nomen mutare, non mores. Id Symbolum desumpsit vt pietatis sensum acueret, & alta meditantem ad vlteriùs tendendum incitaret.

Psalmo 5.

Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo vias meas.

Platina in Ioanne XXII. Garimbert. lib. 6. c. 5.

Nonnulli Ecclesiasticæ Historiæ scriptores Ioannem P. P. ab ingenij tarditate & rerum imperitia taxant. Maiori quàm viros cordatos deceat, licentiâ, Platina & Garimbertus, de P. P. scripserunt; & supremum Ecclesiæ caput, in summo dignitatis fastigio constitutum obiectis calumnijs deturparunt: ijs fidem conciliare videtur vulgatum vbique distichon, leui ex parte truncatum.

Dominus du Chesne. In Ioanne XX. dicto. XXI. Ptolom. Lucens. Hist. lib. 23. cap. 21.

Sub te dormiuit, Ibere, Ioannes;
Namque hebeti ingenio, sed benè doctus eras.

Ptolomæus Lucensis, Episcopus Torcellensis, in Ioannem immeritò inuehitur, quoniam pronas audiendis supplicibus aures præbebat, & cum viris eruditis, etsi inopes essent, familiariter agebat: quasi de dignitate detraheret, quod de humanitate addebat: & sacram P. P. maiestatem dedeceret tantam præseferre modestiam. Cùm pro-

phani etiam ſcriptores Principes ſuos ab humanitate laudent, & eorum ſupercilium reprehendant, qui in ſolitudine partem maieſtatis ponunt, ceu feræ, quæ in rupibus inacceſſis deliteſcunt, ab hominum commercio, vſuque ſemotæ. Rebus tamen à Ioanne præclarè geſtis (quod graues ante me Auctores monuerunt) præſtat credere, quàm illorum ſcriptorum teſtimonijs, qui multa, fide minùs integrâ, narrant, vel partium ſtudijs impliciti, vel à peregrini Pontificis moribus alienati.

Acunha c. 36. n. 5.

In edita Pontificiæ dignitatis arce collocatus, nihil vulgare, aut exiguum agitauit animo; ſed egregia quædam, & ardua concepit. Primùm omnium mentem adiecit componendis Regum Chriſtianorum diſcordijs, ad quos plenas pietatis, & prudentiæ litteras dedit; quibus illos hortabatur vt depoſitis animorum offenſionibus, & ſublatis armorum contentionibus, aduerſus Turcam, Chriſtiani nominis hoſtem, vnanimes conſpirarent: neque paterentur impuriſſimos Mahumetis cultores, per ſummum Catholicæ gentis dedecus, in ſanctiſſima Hieroſolymæ vrbe dominari. Legatos in Galliam, & Luſitaniam miſit, qui Philippum, cognomento *Audacem*, & Alphonſum III. ad Sacrum bellum incitarent, vrgerentque ad iuuandos in tempore Latinos Principes in Syrià, iamdudûm conſumptis opibus, & viribus acciſis laborantes. Idem officij genus peregit

Campius Placentinus in vita Gregorij X.

Spondanus. Bzouius. Raynaldus.

apud Radulphum Imperatorem. Quæ Sacræ expeditionis consilia immaturâ Ioannis morte intercepta, euanuerunt. Petro III. Aragoniæ Regi, Ecclesiasticas decumas concessit, vt bellatorum copias contraheret, quibus imminentes Hispaniæ Saracenos auerteret, atque in Africam retruderet. Pari munificentiæ & pietatis officio vsus cum Guidone Flandriæ Comite, & Marchione Namurci, qui se ad Expeditionem Syriacam, iusto collecto exercitu, comparabat.

Litter. P. P. dat. Viterbij ibid. April. An. Pontific. 1. Odor. Rayn. Anno 1277.

Parisijs in Gallia, noua Philosophorum hæresis pullularat, & multos infecerat; ac nisi sisteret, plures infectura videbatur. Ioannes religione motus, pestem illam nouitate serpentem, opportunè repressit, & exactis errorum tenebris lucem, salutemque Parisiensibus attulit; & Stephani Episcopi sententiam, qui nouam impostorum sectam, habito Theologorum Concilio, priùs damnauerat, Pontificia auctoritate confirmauit.

Idem A. n. 9.

Spondan. An. 1277. n. 12.

Venerant ad Concilium Lugdunense sub Gregorio X. bini Oratores, missi ab Abagha Tartariæ Rege: ibique ex ijs alterum Christianæ religionis præceptionibus imbutum, sacro fonte abluerat Petrus Episcopus Cardinalis Ostiensis. Domum reuersis, multos Christianæ fidei capiendæ ardor incessit. Ergò Ioannes Legatum ad Tartarum designauit:vt documento constaret, non esse alienum à Summis P. P. causam Ecclesiæ apud Paganos, & Hæreticos agere. Nec tam

Acta Conc. Lugd. II.

Camp. in Vita Greg. X. c. 16. Siluest. Petra Sancta S. I. Spondanus. V vading. tom. 4. Annal. Minor. A. 1278.

esse timendum auctoritati suæ, quàm cauendum, ne studio dignitatis tuendæ, desint officio charitatis. Summa legationis erat, vt recens ad fidem conuersos, Regio vellet patrocinio fouere: reliquos ad eam amplectendam inuitare.

Ferentinum & Taurinensem Episcopos, cum Raynerio Priore Viterbij, & Saluio Lectore, Lucano, ex Sacra Prædicatorum familia, ab Innocentio V. antè destinatos, legauit ad Michaelem Palæologum Orientis Imperatorem, vt Græcos in religione discordes, ad concordiam cum Latinis inducerent: Cæsaremque impellerent, ad standum promissis in Concilio Lugdunensi, quæ Michael, & eius filius Andronicus, heres Imperij, re impleuerunt, Ioanne iam defuncto, missis ad Nicolaum III. concordiæ causâ Apocrisarijs.

Aliam Legationem instituit ad Philippum III. Galliæ, & Alphonsum X. Castellæ, Reges, vt exortas inter illos discordias componeret, ob infantes *de la Cerda* Alphonsum, & Ferdinandum, filios Blancæ, Sororis Galli, à Castellano regnandi iure, & spe deiectos, astu Sancij, eorum patrui. Rex Carolus Andegauensis, Siciliam citrà & vltrà mare, Apuliam, & Capuanum Principatum fiduciario iure à Rom. P. P. obtinuerat, Septima igitur die Octobris Anno M. CC. LXXVI. solemni more, ingenti omnium ordinum concursu, ac celebritate, iusta Ioanni P. P. subditi Principis obsequia detulit.

Spondan. An. 1277. Hieron. Zurità. Indic. l. 2. Mariana l. 14. c. 3. & 4. Scriptor. Gall. in Philippo III. Bzouius. Raynaldus. Regest. Vatican. Lib. 2. Epist. 34.

1276.

Supererat Hungaria ciuilium dissensionum motibus concussa, cuius beneficio ne deesset, ad eam pacandam animum, curasque conuertit, si fides habenda est Bzouio, & Spondano. Si Rerum Pannonicarum Historicis, nullæ per id tempus domesticæ discordiæ publicam in Hungaria pacem turbabant. Foris graue ac periculosum bellum vigebat inter Ladislaum III. Stephani IV. filium, & Othocarum Regem Bohemiæ. Inito cruento prælio, Othocarus superatus est. Sed recruduit redintegratis viribus bellum Anno M. CC. LXXVI. infestis in Hungariam armis irrupit Othocarus, nonnullas in confiniis arces ad deditionem compulit: alias vi expugnauit: cuncta ferro flammisque latè vastauit. Ladislaus icto cum Rodulpho Imper. fœdere, magno collecto exercitu, Bohemis occurrit. Collatis signis, vtrinque summa animorum contentione, pugnatum. In medio ardore certaminis Othocarus in Ladislaum incurrit; à quo singulari pugnâ interemptus, & spolia opima relata; inde illi in annos plurimos pacatum regnum. Ad publicam igitur concordiam inter Reges sanciendam; non ad domesticas in Hungaria turbas sedandas, Legatum à Ioanne missum censuerim.

Bzonius An. 1277. n. 1. Spond. eod. Anno n. 1. Bonfin. Decad. 1. Annal. Hungar. l. 8. c. 21. Siffrid. Epitom. lib. 2. Ferofon. in Hist. Hung cap. 78.

Aliter rei gestæ seriem narrant Scriptores Bohemi. Anno M. CC. LXXVIII. Augusti die XXVI. Ioanne iam viuis sublato, Othocarus, transmisso Danubio, cum Radulpho Imperatore memorabili

Ioannes Dubra. Episc. Olmuc. in Hist. Bohem. lib. 17. Æneas Silu. in

morabili prælio congressus, fortissimè dimicans, hastis duorum ex Stiria fratrum, exceptus occubuit. A quodam Bertholdo spectatæ fortitudinis milite, equo deiectum, & interfectum alij malunt. Occisi itaque Regis gloriam ad se trahere quisque contendit. Vtcumque res euenerit, constat Ioannem nobiliores Catholici orbis Prouincias animo & cogitatione complexum, litteris ac legationibus percurrisse, vt rem Christianam tueretur, ac promoueret.

Histor. Bohem. cap. 27. Albert. Argentin. in Chron.

Foris rebus feliciter compositis, domi totum se contulit ad rempublicam gerendam & ornandam. Doctus ipse, litteratorum hominum Mœcenatem agere, ingenio præstantes opulentis sacerdotijs donare, quo & priuatis rationibus consulebat, & publicas dignitates illustrabat: ad pastorale munus aptissimos deligere, optimæ indolis adolescentes ob angustias rei familiaris ægrè vitam tolerantes, subsidijs ad vitæ vsum, & studiorum exercitia necessarijs instruere, quoad litteris probè eruditi, in lucem prodeuntes, procurandæ propriæ, & alienæ fidelium saluti incumberent. Plura in communem vtilitatem conferre, quæ longum esset commemorare, quibus antè oculos propositis, atque altiùs perpensis, quique periti rerum æstimatores iudicabunt, Ioannem præstantissimis Pontificibus adnumerandum, ea maximè ratione, quòd à nobis hactenùs tradita, intra breuissimam octo mensium, quibus tan-

tûm ſedit, periodum, vel inchoauit, vel perfecit.

Amplificando Viterbij Pontificum Palatio admouit manus. Noui operis molem, elegans ædificij additamentum, regio ſumptu ſtruxit, vt Pontifices commodiùs habitarent; plura moliturus, ſi vitam in longius protraxiſſet. Cæterùm nocte nouam fabricationem iam ad culmen perductam, conſequente, hac eius mentem ſubeunte cogitatione, *quàm tenue mortem inter, & ſomnum diſcrimen eſſet*, inopinatò ruentis ad terram cameræ tectorio oppreſſus, inter lapides, ac ligna colliſus, ſexto ab huius infortunij die, Sacramentis ritè ſuſceptis, efflauit animam xx. die Maij, xix. malunt alij; alij xv. nec deſunt, qui xvii. aſſignent: Anno M. CC. LXXVII. Imper. Michaele Palæologo, & Radulpho I. Rege Luſit. Alphonſo III. Sedit menſes VIII. & totidem dies; nullis, præ temporis anguſtijs, creatis Cardinalibus. Viterbij, in Maiori S. Laurentij templo, ignobili monumento conditus eſt hac inſcriptione.

Ioanni Luſitano XXI.
Pontificatus Max. ſui menſe VIII.
Moritur M. CC. LXXVII.

Fr. Anton. Brandan. in Monarch. Luſit. lib. 15. cap. 41
Raynald. 1277.

Eccleſia Vlyſipponenſis die, qua Ioannes obijt, iuſta mortuo perſoluere, & anniuerſaria celebritate facere conſueuit in ſuo, quod vocant Kalendario: hæc ſtylo rudi, ſed ſincero traduntur. *Æra M. CCC. XV. XVII. Kal. Iunij, obijt P.P. Ioannes XXI. qui dedit Capitulo domos ſuas, ad anniuerſarium faciendum ſuum.*

Fuit hoc sanè tempus continuato multorum P. P. obitu memorabile. Quatuor vnius circiter anni conuersio tumulauit: Gregorium X. Innocentium V. Adrianum V. Ioannem XXI. (Est qui affirmet fuisse & Quintum, Hadrianum inter & Ioannem Vicedominum de Vicedominis, Placentium, Gregorij X. nepotem, Cardinalem Episcopum Prænestinum, eadem creatum P.P. die, & extinctum.) Quorum funerum solemnia impleuere anni fastos; dato mortalibus documento, citiùs ad terram ruere altiores apices dignitatum.

Annales M. SS. Placent. Vuading. Annal. Minor. Anno 1276.

Non me latet infelicissimum huius mortis genus, vario tunc hominum sermone fuisse præstrictum. Ad temere ferenda iudicia procliues sumus. Proinde mortalium plurimi in deteriorem partem cuncta vertebant. Siffridus Presbyter Misnensis, vel eius interpres Fabritius, scribere ausus est, Ioannem meritas superis dedisse pœnas, quoniam librum, multis in fidem erroribus scatentem, in lucem edere moliebatur. Quam hominis emotæ mentis sententiam, quia hominum sibilis, & cachinnis excipitur, refellere superuacaneum ducimus. Ptolomæus Lucensis, aliam inculcat à religione petitam, Ioannem videlicet, Hispano tumentem fastu, & motibus imperiosis elatum, exosas habuisse piorum hominum familias. Cæterùm in pauperes benignum, ac liberalem fuisse ex ijs, quæ suprà adduximus, satis liquet. Scripto prætereà à se libro,

Siffrid. lib. 2. Georg. Fabr. Chemnic.

Ptolom. l. 23. c. 21. Chronol. Colom. Predic. parte 1.

quem *Thezaurum Pauperum* nuncupauit, eximium in pauperes amorem posteris testatum reliquit. Vellem, Fr. Ptolomæum suorum recordatio subiret, quos Ioannes socios assignauit Episcopis Ferentino & Taurinensi ad Michaelem Palæologum Legatis. Minoritas singulari studio coluit. De creando Ioanne de Parma, eorum Generali, Cardinali cogitabat, cum hæc cogitantem mors intercepit. Fr. Nicolaum eiusdem familiæ alumnum, S. A. Nuntium in Lusitaniâ declarauit, qui Ecclesiasticis ibi causis, ampla cum potestate diû præfuit. Magni certè faciebat religiosos viros, qui grauissima Reipubl. Christianæ negotia eorum potestati ac iudicio permittebat. Nullam, sedente Ioanne, in sacras familias excitatam tempestatem comperimus. Quapropter incuriæ arguendus Ptolomæus, qui ipsis infensum fuisse scribit; atque illo mortis genere conceptum in Regulares odium expiasse.

Ciacon. in Gregor. X. Acunha parte 2. c. 36. Hist. Brachar. & in Hist. Episc. Vlysipp. parte 1. c. 54. Vuading. An. 1277. Bzouius tom. 13. an. 1254. Cantipatr. l. 2. cap. n. 21. Monach. Paduan. lib. 2. Chronic.

Huiusmodi ferè calumnias nonnulli Authores minùs cauti Innocentio IV. Sapientissimo Pontifici, eadem de causâ, affinxerunt: & acerbum propterea mortis genus pertulisse narrant. Verumtamen alij grauioris iudicij Scriptores, obiectas ab ijs calumnias idoneis rationibus confutant; & Pontificis innocentiæ, ac sanctitati debitum testimonium, laudesque tribuunt.

Meritò censemus in recondita Dei iudicia ho-

minum captum ſuperantia, referendam Ioannis mortem: indeque à ſupremis orbis terrarum Principibus iuſti timoris elicienda documenta: Nequaquam vanis, & fluxis mundi rebus fidendum, cùm & fragiles, & caducæ ſint, & infortunijs obnoxiæ; atque eumdem caſum, qui Ioannem longos ſpe annos deuorantem repentè excepit, illos quoque poſſe præcipiti ruina inuoluere: & aurea Petri Damiani verba identidem animo verſent: *Vt humano generi metum mortis incutiat: & quàm deſpicienda ſit temporalis vitæ gloria, in ipſo gloriæ Principatu euidenter oſtendat: quatenùs dum præcipuus hominum tam anguſti temporis compendio moritur, tremefactus quiſque ad præſtolandam ſui obitus cuſtodiam prouocetur: & arbor humani generis dum cacumen, ac verticem ſuum tam facilè corruiſſe conſiderat, flatu concuſſa formidinis, in ſuis vndique ramuſculis contremiſcat.*

Petr. Damianus Epiſt. ad Alex. II. P.P.

Multos, eoſque præclaros fœcundi ingenij fœtus Ioannes in lucem edidit: Medicis præſertim & Philoſophis commendatos. Summulas Logicas, quàs eruditis Commentariis explicarunt Petrus de Bruxellis, Gerardus Liſtrius, Nicolaus Orbellus, Petrus Tartaretus, Matthæus de Bononia Carmelitarum Generalis, Matthias Ernich, & Thomas Bricorus: extant M. S. S. Pataauii in Bibliotheca S. Ioannis de Viridario. Parua Logicalia in partes ſecta, & in capita diſtincta. Senos Tractatus Logicos. Philoſophica item Pro-

Aubert. Miræus in Biblioth. P.P.

Iacobus à S. Carolo, in Biblioth. P.P. lib. 1. 11. Ioannes XXI.

Ioannes Franco Barreto in Biblioth. Luſitana.

blemata, Aristotelis imitatione, composuit Dialecticam, in Isaacum Medicum commentaria, eruditione referta. Thezaurum pauperum, seu de medendis humani corporis morbis, typis sæpè mandatum. Tractatus varios in Hippocratem, Medicorum Principem, Glossas, Canones Medicinæ. De tuenda valetudine Consilium, Blancæ, Reginæ Galliæ, D. Ludouici Matri nuncupatum; quod asseruatur in Bibliotheca G. Naudei. Epistolæ, quas scripsit iusto volumine, continentur in Bibliotheca Vaticanâ, quemadmodum & conciones quædam apud Augustinianos Cremonæ: In Anglia verò, Cantabrigiæ ad S. Petri Bibliothecam, reperiri dicuntur præclaræ Ioannis Lucubrationes in Physiognomiam Aristotelis.

Illud scitu dignum videtur, qui primus Typographicæ Artis fœtus in lucem prodijt, eum fuisse Alexandri Galle Doctrinale, & Tractatus Petri, Hispani (quod Ioanni nomen in priuata fortuna fuit) idque affirmant Hadrianus Iunius, Henricus Salmuthi, Guido Pancirola, Petrus Bertius: quorum vestigijs insistere videtur Spondanus. Ab ijs tamen alij Scriptores dissentiunt: Genebradus & Volateranus, qui Libris Augustini de Ciuitate Dei, & Lactantij institutionibus primas tribuunt. Ramus, Pasquerius, Duretus; Ciceroni de officijs. Petrus à S. Romualdo, primum Typographiæ opus Biblia fuisse affirmat in maiori folio excusa. Serarius, diuersas Authorum opiniones enu-

Adrian. Iunius in Hist. Batauic.
Henricus Salmuthi. titulo de Typographia.
Pancir. de Reb. Memorabil.
Bertius l. 2. Geogr. c. 9.
Spondan. ad an. 1440.
Genebr. in Chronic.
Volateran. lib. 33.
Ramus, Pasquer. Duretus,

merat, & rem in medio relinquit.

Michaelis Buchingeri Colmarienſis ſententiam non probamus, qui ritum pulſandi campanas ſingulis diebus ſub veſperum, ad Salutationem Angelicam, à Ioanne XXI. P.P. Luſitano inſtitutum eſſe exiſtimat, qui deindè mos per vniuerſum orbem Catholicum eſt propagatus. omnium quippè ſcriptorum confeſſione conſtat ab alijs P.P. inuentum. Ciaconius, Gregorio IX. attribuit: Arnoldus Vvion, & Ferreolus Locrius, Vrbano II. Genebrardus, & Abbas Vrſpergenſis, Honorio III. Polydorus Virgilius, & Petrus Frizon, Ioannem XXII. Authorem volunt eſſe veſpertini Campanarum pulſus; meridiani verò Callixtum III. Cæterùm Robertus Gaguinus, & Spondanus Meridiani Soni inuentorem dicunt Ludouicum XI. Galliæ Regem, quorum ſententias recenſet Angelus Rocca in libro de Campanis diligenter conſcripto. Guido Cardinalis, Epiſcopus Prænestinus, primus inſtituit in Eccleſia Leodienſi, vt ad Euchariſtiæ conſecrationem, & Salutationem Angelicam pulſarentur campanæ; quem poſteà morem Gregorius IX. probauit, & Eccleſiæ Rom. tradidit.

Pulſum meridianum in Callixtum III. referendum eſſe iure cenſemus. Anno quippè M. CCCC. LVI. coloris ſanguinei cometa in aëre viſus eſt (Binos cometas apparuiſſe, nonnulli ſcriptores affirmant) huius aſpectu ingens mortalium animis

citati à Petro à S. Romualdo in Thez. Chron. & Hiſt. tom. 3. Anno 1440. Serar. de Reb. Mogunt. lib. 1. cap. 39. Michael Buchinger. in Hiſt. Eccleſ. ſub Ioan. XXI. Bzouius Anno 1239. Ciacon. in Gregor. IX. Arnoldus Vvion. l. 5. emblem. 3. c. 10. parte 2. Locrius in M. Aug. Vir. Genebrardus Abbas Vrſpergenſis. Polydorus Virgilius. Frizon. in Gall. Purp. l. 1. p. 60. Gaguin. l. 11. An. Franc. c. 12. Spondan. An. 1472. n. v. Angelus Rocca. c. 18. Ludou. Donius d'Atticby in Flor. Cardin. parte 2. f. 168. Gauantus in Thezauro Rituum §. 6. c. Platina in Callixto III. Spondan. in Auct. An. 1456. S. Anton. 3. parte tit. 22. c. 14. Bzouius An. 1456. Baron. in Martyrol. Rom. ad diem. vi. Augusti.

pauor incessit. Igitur Callixtus, P.P. qui rebus tum sacris præerat, commiseratione motus, quò impendentia Reipubl. mala auerteret, & Christianos milites per id tempus contrà Turcas in Hungaria bellantes, celestibus iuuaret præsidijs, ad præcipua vrbis templa solemnes supplicationes indixit. Decreuit præterea, vt edito sub meridiem ære campano sono, ter Dominica oratio, & Angelica Salutatio à fidelibus diceretur, salutari expiatione, & indulgentia ritu Catholico precantibus concessa. Hac specie religiosæ pompæ à Callixto institutæ, & pijs fidelium precibus placati superi, in Turcas stragem, ac exitium detorserunt; parta ad Belgradum, firmissimum Hungariæ propugnaculum, clarissima de Mahumete victoria, ipso grauiter vulnerato, & quadraginta Turcarum millibus cæsis. Tres illo in prælio Ioannes illustria singularum virtutum documenta prębuerunt. Ioannes Caruaialius, Cardinalis Hispanus, insignis constantiæ: Ioannes Capistranus, Minorita, eximiæ pietatis: Ioannes Hunniades, fortissimus Imperator, bellicæ peritiæ. Seu vellent superi mortalibus significare, trinas Callixti P.P. preces, comparatâ per tres Ioannes victoriâ, aptè repensas, & commendatas.

Andreas du Chesne, in Callixto pag. 331.

Bonfin. de Rep. Hungar. dec. 3. Laonicus lib. 8. Laziard. cap. 280.

Æneas Sil. in Hist. Boh. Donius in Ioan. Caruaial. Cardin. Hispan.

De Ioanne scripserunt Platina in Ioanne XXII. Panuinius & Ciaconius in Ioanne XX. dicto XXI. Genebrardus in Chron. anno 1276. & 1677. Ptolomæus Lucens. Hist. lib. 23. c. 21. Bernardin. Corius

Corius p. 2. Hiſt. Mediolan. anno 1277. Iordanus in M. S. S. Biblioth. Vatican. Sign. n. 1960. M. S.S. Biblioth. Vallicell. de Vitis P.P. Rom. lit. C. n. 25. p. 172. Bernard. in Chron. P.P. Rom. Siffridus Miſnenſis ad Ann. 1276. Vveſtmonaſter. In Chron. Anno 1276. Trithem. in Chron. Hirſaugienſ. & in ſcriptoribus Eccleſ. Bucchinger. In Hiſt. Eccleſ. ſub Ioanne XXI. Villanus lib. 7. c. 50. Ioann. Antôn. Vvanderlinden, de ſcriptor. Medicis, & Conrad. Geſnerus. Paulus Bolduenſ. in ſua Biblioth. Gabriel Naudæus lib. de Antiquit. & Dignit. Medicæ ſcientiæ. Anton. Poſſeuin. in Biblioth. Select. l. 12. c. 5. Nomenclator Cardinal. Dominus du Cheſne, in Hiſt. P.P. tom. 2. ſub Ioanne XIX. Mariana, de Rebus Hiſpan. lib. 14. c. 2. Bzouius tom. 14. Anno 1277. Odoric. Raynald. Anno 1276. & 1277. Paulus Morigia, in Ioanne XXI. Iacobus à S. Carolo, in Biblioth. Pontific. lib. 1. Vvading. in Annalib. Minor. Anno 1276. & 1277. Vghellus tom. 1. Ital. Sacræ in Epiſcop. Tuſculan. Petrus à S. Romualdo, in Thezauro p. 3. ad Ann. 1276. Spondanus ad An. 1276. & 1277. Aubertus Miræus, de ſcriptor. Eccleſ. pag. 253. Andreas Cellanus, in Harmonia Macrocoſmica, pag. 114. Sammarthani Fratres, in Gallia Chriſtian. tom. 1. ſub finem. Hieron. Garimbert. lib. 6. c. 5. Theodor. Petreius Carthuſ. Colonienſ. in Chron. Rom. P.P. & imperat. ſub Ioanne XX. Petrus d'Auitys, in de-

ſcriptione Geneal. P.P. Rom. tom. 3. fol. 256. Philipus L'abbe S.I. in ſynopſi omnium Concilior.

Luſitanos Authores, quorum libros ad manum habui, ſeorſim citare volo: Ij ſunt Acunha in Hiſt. Eccleſ. Brachar. p. 2. à c. 35. Fr. Bernard. de Brito, Regius Chronologus Luſitan. ſæpè in Monarchia Luſit. Cozmas Magallian. in Catalog. Archiepiſc. Brachar. Gaſpar Alurum Louſada in ſuis M. SS. Fr. Franciſcus de Macedo. in Propugnac. Luſitano Gallico, p. 1. Emmanuel Seuerinus de Faria, de Cardinal. Luſitan. Eduardus Nuñez à Leone, in deſcript. Luſitan cap. 87. Ioannes Barrius, Iureconſultus, in M. SS. De Prouincia Interramnenſi. Fr. Antonius Brandanus in Monarchia Luſitan. lib. 15. c. 41. & 42. & 32. Anton. de Vaſconcellos, in deſcript. Luſitan. Georgius Cardoſo, in Agiolog. SS. Luſit. tom. 1. initio. Ioannes Franco Barreto, in Bibliotheca Luſitana. Emmanuel de Faria Souſa in Epitome Hiſtor. Luſitan. p. 3. c. 6. n. 30. Antonius de Sauſa Macedo, in excellent. Luſitan. ad finem.

ÆGIDIVS CANONICVS VISENSIS.

S. R. E. CARDINALIS.

ANNO INCERTO.

ÆGIDIVS (quem Lusitani *Gillium* vulgò appellant) splendidos natales habuit, Iuliano parente natus, qui regnante Alphonso II. Sancio II. & Alphonso III. supremus fuit Lusitaniç Cancellarius; quamquàm grauissimus Scriptor Acunha, nominis celebritate, & librorum multitudine, ac varietate clarissimus, sub Alphonso III. quemdam Stephanum Anes Lusitaniæ Cancellarium fuisse testetur. In Summa quidem rerum perturbatione, amoto, socordiæ causâ à publica Regni administratione, Sancio II. Innocentij IV. Summi P.P. decreto, & Alphonso III. Bononiæ quondam Comiti, eiusdem fratri, demandatâ ab illo

Acunha in Hist. Eccles. Vlysipp. parte 2. c. 46. num. 1.

honoris gradu, Iulianus non est deiectus, exquisitæ prudentiæ argumento.

Tabularium Eccles. Visensis.

Ductam à maioribus sanguinis claritatem Ægidius proprijs virtutibus illustrauit. Humanis quippe ac diuinis litteris eruditus *Magistri* cognomentum sibi peperit. Visensis posteà Ecclesiæ Canonicus electus est: indè sibi viam parauit ad S. R. E. Cardinalatum. Quo anno, & à quo P.P. creatus fuerit Cardinalis, in obscuro est: Neque nos ad lucem aperire potuimus, quæ temporum vetustas, & penuria scriptorum in tenebris sepulta reliquerunt. Constat Lusitanos ferrea illa ætate, aureis moribus, non litterariis exercitationibus floruisse: Magisque de gerendo aduersùs Christiani nominis hostes bello, quàm de condendis Annalibus cogitasse.

Acunha supra citat. parte 2. c. 42.

Ægidius sanguinis nexu coniunctus fuit Ferdinando Piresio, Canonico Vlysipponensi, qui nuntio rebus humanis remisso, & cælestium amore inflammatus, Prædicatorum familiæ se addixit, & magna probitatis opinione, Scalabi decessit: & Ægidio (*Gillium* vocant) Clarissimo eiusdem ordinis lumini, & ornamento; de quo cùm nostrates, tum externi scriptores multa, & quæ cuipiam fortassè veritatis fidem excedere videntur, enarrant. Cæterùm cuncta certò constare idoneis argumentis probant.

De Ægidio Cardinali Lusitano nequaquàm meminerunt Panuinus, Ciaconius, Auberyus,

& alij, qui Cardinalium Vitas & Catalogos texuerunt. Vnus Georgius Cardoso, Presbyter Vlyssipponensis, nobilis scriptor, ea quæ diximus nobis, per litteras ad vrbem missas significauit. In suo, quod molitur opere *de Tiaris Lusitanis*, propediem in lucem edendo, pleniùs ac luculentiùs Ægidij vitam, actaque, materna linguâ describet: Ad quod Lectorem remittimus.

Georgius Cardoso in litteris dat. Vlyssipp. x. Aprilis, Anno 1661.



IOANNES S. CRVCIS

CONIMBRICENSIS CANONICVS REGVLARIS.

Existimatus Episcopus Cardinalis Sabinensis.

Annal. Lus. in Alpho. 1.

CONIMBRICENSE à S. Cruce Cœnobium antiquitate venerabile, magnificentia augustum, religione sacrosanctum ab Alphonso I. Lusitani Regni parente, auctoréque conditum est, de quo nonnulla commemorare officij nostri esse duximus, qui ea in vrbe ac Cœnobio proximi huius lucis vsuram hausimus.

Tabular. S. Cruc. Conimb.

Georg. Cardos. in Agiol: tom. 1. ad XVIII. Februarij.

Palestus de Canon. Reg.

Tellus Archidiaconus Conimbricensis, rerum cælestium amore incensus, nuntium mundo remisit, & Christi consilia secutus, totum se ad eius sectanda vestigia contulit: sed & aliorum, ex Telli conuersione insignis vitæ, morumque mutatio secuta est, qui mira animorum consensione ad idem viuendi institutum aggregati, prima S. Crucis Cænobij, ac Religionis fundamenta iecerunt. Atque vt perfecta religiosi instituti ratio

constaret, primum Cœnobij Priorem creant Theotonium, in Prouincia Bracharensi natum, maturâ iam virtute virum, & multis pro Christo laboribus defunctum. Ad quem sibi famâ notum D. Bernardus baculum, cui senio iam confectus inniteretur, sui amoris pignus, dono misit. Alphonsus, vt erat egregiè pius, partas de Saracenis victorias Theotonij precibus acceptas referebat: & quò maiora in S. Crucis Canonicos Regiæ munificentiæ argumenta præberet; imperfectum eorum Cœnobium, sed iam tum sanctitatis opinione inclytum, ad summam amplitudinem euexit, & ad vmbilicum perduxit: cui primam quam Mauris eripuit vrbem, Leiriam nomine, solemni donatione integram dedicauit. Opima item spolia, quæ debellatis Regibus detrahebat, in S. Crucis Templo, religionis ergô, consecrabat. Cùm ex acie domum redibat, in Cœnobium se recipere, & habitu ad religionem composito, Chorum adire, ac inter cæteros Canonicos censeri, cum ijs psallere, ac pensa Horarum reddere solitus commemoratur. Et quemadmodum Dauid, deposito regio fastu, Ephod, Sacra Leuitarum veste indutus, Arcæ Testamenti operatus est: ita Alphonsus, abiectis regalibus insignibus, candidam ministrantium Sacris vestem induere, & hoc habitu rebus diuinis operam dare consueuerat.

Acunha in Hist. Eccl. Brachar. p. 1. c. 17. Fr. Anton. Brandan. in Mon. Lus. p. 3. l. 12. c. 43.

Blasius Virg. in Apocal. dedic. Odoardo Card. Farn.

Vasconcellus S. I. in Anaceph. Alphonsi 1. Fr. Francisc. de Macedo in Propugn. p. 1. pag. 18. Anton. de Sousa Macedo. in Excell. Lusit. de Relig. Emman. de Faria Sousa in Epit. Hist. Lus. p. 3. c. 2. Eduard. Nunes a Leone in Geneal. Reg. Lusit. Regum. 2. c. 6.

Multi, [illegible]c, doctrina & pietate præstantes

viri hoc ex Domicilio prodierunt, quos recensere nimis operosum esset, & ab instituto nostro alienum: Vnus pro cunctis satis sit Antonius Vlysipponnensis, *de Padua* vulgò dictus, notior suis & virtutibus, & miraculis, quàm vt commendatione indigeat: Eximia eo in loco Sanctitatis rudimenta posuit: & occasione capta à quinque Seraphici ordinis Martyribus, qui paulò antè Marochiæ regia Mauritaniæ vrbe, profuso sanguine, clarum fidei Christianæ testimonium reddiderant, quorum corpora multis illustrata miraculis Petrus, Infans Lusitaniæ, in S. Crucis Templum intulerat, Martyrij desiderio incensus, ad Minoritas eo consilio transijt, vt in Conuersionem Infidelium totis viribus incumberet, palmamque Martyrij demûm obtineret. Cæterùm dum in Africam traijceret, vt voti fieret compos, nauis, quâ vehebatur, diû, multúmque ventis, ac fluctibus agitata, ægrè tandem portum in Sicilia tenuit. Vniuersam mox Italiam, & Galliæ partem plenus Apostolico spiritu peragrauit, ingentem Hæreticorum numerum à nefarijs erroribus ad Catholicam fidem traduxit; innumeros præterea omnium Ordinum mortales, quos præceps in omnem licentiam natura, cupiditasque agebant, idoneis concionibus, & præclaris vitæ exemplis ad sectandam virtutis viam incitauit. Tandem multis clarus miraculis, Patauij sanctissimè obijt. Ad institutum modò narrationis cursum redeamus.

Lucas Assar. in Vit. Ant. Tabul. S. Crucis Conimbr. Fr. Marc Vlysip. p. 1. lib. 4. c. 1. Fr. Francisc. Macedo in Propugn. p[illegible]. pag. 86. Breuiar. Brach. Ebor. & S. Cruc. Vuading. in Annal. Anno 1119. Brandan. p. 4. l. 11. c. 18. Aleman. in Vit. Anton. lib. 5. c. 9. Bulla Canoniz. Acunha. in Histor. Episc. Vlysipp. p. 2. à. cap. 33. Gonzaga. l. 1. pag. 69.

Georgius

Georgius Cardosus, Presbyter Lusitanus, qui multa situ obsita, & obliuione sepulta, assidua lectione, studioque detersit, & magno rei litterariæ bono, publici iuris fecit, inter cæteros S. Crucis Cænobij Canonicos Regulares, Ioannem quemdam inducit, Episcopum olim, Cardinalem Sabinensem, & Legatum à latere in Lusitania: quarum dignitatum munia, Conimbricæ præsertim, vrbe Regum tum Lusitaniæ sede exercuit. Anno inprimis M. C. LXXXII. ad instaurandam Ecclesiasticam disciplinam animum adiecit, certas, & idoneas leges Maioris Basilicæ Canonicis præscripsit; atque in illorum mores seuerè inquisiuit; deditque operam vt pietatis exemplo cæteris prælucerent. Longo posteà temporis spatio interiecto, septima Ianuarij die, anno M. CC. XXVIII. Sanctæ Crucis templum, in quo ipse olim religioni nomen dederat, Romano ritu consecrauit: Rem tantam, non leuibus, vt existimat Cardosus, coniecturis ductus, sed solidis rationibus nixus, ab antiquitate & auctoritate petitis confirmat. Vetustissimi scilicet Breuiarij testimonio: & huiuscemodi inscriptione S. Crucis templi parietibus affixâ: *Ioannes Dei gratia Sabinensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus.* Ijs accedit publica Librorum fides, quos de Mortuis dicunt: seruanturque in tabulario S. Crucis, & Cænobij de Grijo, senis ferè milliarijs ab vrbe Portucalensi discreti; in quibus deductâ à conditis

Georgius Cardosus. *In agiol. tom. I. ad diem vij. Ianuar.*

Tabular. S. Crucis Con.

Cænobium de Griio.

Emman. Seuer. Faria Eborens.

Cœnobijs, mortuorum Canonicorum ſerie, cunctì longo ordine referuntur: & cæteris, Ioannes dequo agimus, his diſertis verbis adnumeratur: *V. Idus Auguſti obijt Dominus Ioannes Sabinenſis Epiſcopus R. E. Cardinalis, Conſecrator (Grijo, Conſeruator) & Canonicus S. Crucis:* Facem (ni fallor) Cardoſo prætulit, vt è tenebris in lucem produceret Ioannem Cardin. Emmanuel Seuerinus de Faria, vir eruditiſſimus, de quo ſæpè incidit ſermo, in lib. M.SS. de Cardinalibus Luſitanis. Ab ijs magni nominis Auctoribus tradita paulò accuratius examinare decreuimus, qui vnius veritatis ſtudio ducimur, & illa in vrbe verſamur, quæ veritatis ac fidei eſt Magiſtra.

Sacra igitur Annalium monumenta ſedulò euoluimus; Romanorum: P.P. Bullas, Regeſta, Epiſtolaſque diligenter inſpeximus; nec vnquàm reperire potuimus per id tempus, quod citati Auctores deſignant, Ioannem S. Crucis Conimbr. in Luſitania Canonicum, Epiſcopum Cardin. Sabin. & Legatum à latere: ſed alios cognomine, re, ac natione diuerſos, à Rom. PP. legitimè creatos. Vt rem totam in conſpectum demus, ire per ſingulos operæ-pretium erit, vt ita, re ſeriò & exactè diſcuſſa, feramus pro veritate ſententiam.

Vixit Ioannes Conimbricenſis (ſcribunt Seuerinus & Cardoſus) Epiſcopus Cardin. Sabin. ab anno M. C. LXXXII. ad Annum M. CC. XXVIII. Totum, hoc annorum ſpatium ſubſequentes Car-

din. Episcopi Sabin. extrà Lusitaniam continuata serie occuparunt.

Conradus de Vuittelsbach, natione Germanus, creatus ab Alexandro III. Anno M. C. LXIII. si credimus Panuinio & Ciaconio: si Claudio Roberto, & Petro Frizoni, anno M. C. LXIV. liquet ex Epist. Innocentij III. ad Canonicos Moguntinos. Ex Bulla Alexandri III. ad S. Crucis in Hierusalem anno M. C. LXVI. ex Bulla Lucij III. S. Mariæ de Rheno, anno M. C. LXXXII. Pondus his addit Diploma ab Aleaxndro III. concessum, Venetijs, S. Mariæ de Organis VI. Idus Iulias, anno M. C. LXXVII. cui subscribit, cum reliquis Cardinalibus, Conradus Episcopus Cardin. Sabin. Efficax in rem argumentum desumitur ab anno M. C. LXXXI. quo inuenta fuerunt à Conrardo, Archiepiscopo tum Salstzburgensi, & Episcopo Cardin. Sabin. corpora SS. Virgilij, Vitalis, Hartouici, & Eberardi, Archipræsulum Salstzburgensium. In rei memoriam, ea in vrbe Sacris adsignata est inuentionis Dies. A nobis dicta confirmant grauissimi scriptores: Abbas Vrspergensis in Chron. Dodechin. de Episc. Germ. Gaspar Bruschius, de Germ. Episcop. tom. 1. Henric. Canisius lib. 2. Antiquar. lection. Romuald. Salernit. in Chron. Anno M. C. LXXVII. Conradus Mogunt. in Chron. Auctor Anonymus de Reb. Mogunt. Codex M. SS. apud Trithemium, Baronius tom. XII. Annal. Eccl. Anno M. C. LXXXI. fol.

Conradus de Vuittelsbach Epist. Card. Sabin.

Abb. Vrsperg. Dodechinus. Bruschius. Canisius. Romualdus. Conradus. Anonymus. Trithemius. Baronius. Heuedenus. Panuinius. Ciaconius. Hundius.

Stero. *Serarius S. I.* *Conrad. Ludou. & Scæuola Sam. d'Atichy.* *Vghellus.* *Aubery.* *Frizon.* *Robertus.*

763. Roger. Houeden. in Annal. Angl. Panuinius & Ciaconius, in Alex. III. P.P. Vigulius Hundius in Metropoli Salstzburg. tom 1. p. 74. Stero, anno M.C. LXXXIII. Serarius S. I. de rebus Mogunt. l. 5. pag. 821. & in Conrado, Mogunt. Archiep. XXXI. Electore XV. pag. 826. Sammarthani Fratres in Gall. Christ. tom. 1. sub Archiep. Mogunt. Donius d'Attichy, Episcop. Æduensis, in Floribus Cardin. tom. 1. f. 298. Vghellus tom. 1. Italiæ S. in Episc. Sabin. Aubery. p. 1. Hist. Card. Anno M C. LXIII. Frizon, in Gall. Purpur. l. 2. pag. 177. Claudius Robert. in Gall. Christ. sub Archiep. Mogunt. Vixit Conradus sub Alexandro III.

Lucio III.
Vrbano III.
Gregorio VIII.
Clemente III.
Cælestino III.

Sammarth. Fratr. in Gall. Christ. tom. 1. sub Archiep. Mogunt.

Fato functus est Patauij in Bauaria, *Passauium*, dicunt alij, in Peruigilio SS. Apostolorum Simonis & Iudæ, anno instauratæ Salutis M. CC. Alij assignant M. CCII. Nonnulli M. CC. V. sed perperàm. Moguntiam posteà translatus, in Principe Vrbis Templo quiescit.

Ioannes à S. Paulo. Episc. Card. Sabin. *Regest. Innoc. III.* *D. Bonauentur.*

Ioannes à S. Paulo, clarissimâ Columniorum familiâ natus, Episcopus Cardin. Sabin. demortuo Conrado suffectus est ab Innoc III. Anno M. CC. III. Certam ijs fidem facit Regestum Innocentij, & S. Bonauentura in Vita S. Francisci Mi-

noritarum parentis, cap. 3. vbi, Dominum *Joannem à S. Paulo appellat Episcopum Sabinensem, virum venerandum.* Id suis testimonijs corroborant Panuinius in Elench. Episc. Sabinens. Ciaconius sub Innoc. III. Vghell. in Episc. Sabin. tom. 1. Ital. S. Donius, in Floribus tom. 1. An. 1193. pag. 239. Aubery p. 1. Cortesius, de Cardinal. Fr. Lucas Vvadingus, in Annal. Minor. tom. 1. Anno M. CC. XVII. n. 5. Andr. Victorell. in Notis ad Ciacon. Baronius tom. XII. Anno 1108. Bzouius, anno M. CC. Rigordus lib. de Gestis à Philippo Augusto. Tossinus, in Hist. Ordin. Seraph. lib. 2. & alij, quos breuitatis causâ omittimus.

Pannuinius. Ciaconius. Vghellus. Donius. Aubery. Cortesius. Vvadingus. Victorellus. Baronius. Bzouius. Rigordus. Tossinus.

Vghelli sententiam reijcimus, qui in libello quem *de Cardinalibus Columnijs* conscripsit, Ioannem à S. Paulo Cardin. *Primum dicit Franciscanæ Familiæ Protectorem.* Omnium quippè Auctorum confessione constat fuisse Hugolinum Cardinalem, Ostiensem Episc. qui procedente die ad Pontificatum euectus Gregorij X. nomen desumpsit.

Vghellus. Spondan. An. 1119. n. v. Annal. Minor. Vvading. t. 1. An. 1217. Tossin. in Hist. Minor. lib. 2. Petr. à S. Romualdo in Thes. t. 3. An. 1227.

Ludouicus Donius d'Attichy, quem sæpè citamus, Authorem Ioannem à S. Paulo eam ob rationem commendat, quòd S. Raymundum à Pennaforti, virum sanctissimum, ex Prædicatorum familiâ, socium sibi adsciuerit in legatione Hispanica: & confectis ex voto rebus, in Vrbem reuersus, illum accersiri curauerit à Gregorio IX. Romam veniens, Pœnitentiarij, & Capellani Pontificij munia exercuit, & Decretales,

Ludou. Don. d'Atticby in Flor. S. R. E. Cardin. tom. 1. fol. 247.

Annal. Prædic.

Ex Proœm. Decretal.

iubente Gregorio, in Compendium redegit, magno rei litterariæ bono. Dictis fidem facit Bulla Canoniz. Raymundi, quem in S.S. numerum retulit Clemens VIII. in qua hæc omnia disertis verbis traduntur. *Ita Donius*: Cæterum hac in re, diligentem alioqui scriptorem, deceptum esse liquidò comperimus: Ioanni quippè à S.Paulo, Romano, Cardin. Episc. Sabin. tribuit quæ multis pòst annis contigerunt alteri Ioanni, gente Gallo, de Halgrin dicto, Monacho Cluniacensi, Episcopo, item Cardin. Sabin. à Gregorio IX. in Hispaniam cum legatione misso. Paucis rem declaro, & conficio.

Vghellus t. 1. Ital. Sacra, in Episc. Sabin. & lib. de Card. Column.

Vita S. Raymundi.

Ioannes à S. Paulo sub Innocentio III. qui multò antiquior est Gregorio IX. vixit, & decessit: nam Petrus Cardinalis, eius in Episcopatu successor, Sabinensem adiit, nonnisi anno MCCXVI. Raymundus verò religionem ingressus est anno M. CC. XXII. Fieri igitur non potuit, vt sex, aut septem antè annos mortuus Ioannes, socium sibi adsciuerit Raymundum, in Prædicatorum familiam nondum adscriptum. Prætereà Ioannes à S. Paulo nullam in Hispania legationem obijt: in Galliam ad Philippum Augustum ab Innocentio III. legatum missum tradunt Eccles. Historiæ scriptores; quamquàm Auberius à Cœlestino III. missum affirmet. Ex Prædicatorum etiam Annalibus, & ex vita S. Raymundi per Franciscum Peña accuratissimè com-

Ciaconius. Vghellus.

Auberij in Ioan. à S. P.

Annal. Prædic. p. 1. c. 17. & p. 3. l. 1. c. 3.

posita, perspicuum redditur, Ioannem Halgrinum, seu de Abbatis Villa, Episcopum Cardin. Sabin. Raymundum habuisse socium in legatione Hispanica, & eiusdem Cardinalis consilio permotum Gregorium, Raymundum in vrbem accersisse. Nec Bulla Canonizationis à nobis dictis fidem abrogat: ità quippè Clemens VIII. *Bonæ memoriæ Ioannes Cardinalis Episcopus Sabin. eruditionis & pietatis laude clarissimus, ab eodem Gregorio IX. Prædecessore nostro in Hispaniam, ad Crucem aduersus Saracenos prædicandam, aliaque S. A. negotia pertractanda legatus de latere missus, multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adiutorem.* Quæ nullatenùs possunt intelligi de Ioanne à S. Paulo, qui sub Innocentio III. sed de Ioanne Halgrino, qui sub Gregorio IX. vixit, & ab eodem P.P. in Hispaniam legatus de latere missus est, ad Crucem aduersùs Saracenos prædicandam, aliàque S. A. negotia pertractanda, quam is prouinciam egregiè sustinuit, assumpto sibi legationis socio Raymundo, doctrinæ & sanctitatis opinione tùm celebri. Ex iis quæ diximus satis constat Donium vtriusque Cardinalis Episcopatus & nominis similitudine deceptum esse.

Penna S. Rotæ Auditor. in Vit. S. Raym. c. 5.
Frizon. in Gallia Purpur. sub Ioanne Halgrino pa. 213.
Spondan. ad A. 1229. n. 5.
Scriptores Hisp. ita sentiunt.
Bulla Canon. S. Raim. Const. 77. §. 19. Bullar. tom. 3.

Petrus, è Diacono Cardinali S. Mariæ in Aquiro, ab Honorio III. creatus est Episcopus Cardin. Sabin. anno MCCXVI. liquet ex Epist. eiusdem P.P. ad Petrum data: & Panuinio, Cia-

Petrus Episc. Card. Sab.
Honor. III. Epist.
Panuinius in Hono III.
Ciaconius.

Spondanus An. 1214. n. 2. Vghellus in Epiſ. Sabin. Aubery. Arnoldus Vuion l. 2. lign. Vitæ. Arnold. alter Narb.

conio, Spondano, Vghello, Auberyo, Arnoldo Vuione, & Arnoldo Narbonenſi Epiſcopo: Vuion, Monachum Benedictinum fuiſſe ſcribit, Duaci in Belgio natum: at Spondanus Beneuentanum appellat. E viuis exceſſit anno MCCXXI.

Alebrand. Caietan. Rom. Epiſc. Card. Sab. Laterani dat. IV. Kal. Mart. Regeſt. Vaticanum.

Alebrandinus Caietanus, Petro demortuo ſucceſſor datus ab Honorio III. Anno M. CC. XXI. Id penè certum reddit Regeſtum Vaticanum, Honorii III. Epiſt. 529. ad Decanum & Capitulum Pariſienſe: P.P. anno IV. & alia Epiſt. ad Epiſcopum, & Capitulum Pariſienſe, Pontific. anno V. & Bulla ab eodem P.P. conceſſa Monaſterio S. Saluatoris Diœceſis Reatinæ, VIII. Kal. Maij. PP. anno V. Momentum rationis addit vetus inſcriptio Baſilicæ SS. Vincentij & Anaſtaſij extrà vrbem ad Tres-fontes; ipſáque vetuſtate fidem & auctoritatem conciliat, memorato alios inter Cardinales Alebrandino Epiſcopo Sabinenſi. Baronius in Notis ad Martyrologium Rom. ſcribit *obijſſe Alebrandinum Epiſcop. Sabin. xi. Kal. Ianuarij.*

Vghellus in Epiſc. Card. Sabin.

Baronius.

M. Oliuerius.

M. Oliuerius Saxo, ab Eccleſia Paderbornenſi in Germania, ad Sabin. propè vrbem promotus fuit ab Honorio III. anno MCCXXV. vt exiſtimat Vghellus: Panuinius MCCXX. Ciaconius MCCXXI. tanta eſt in re leui inter Hiſtoricos diſcordia, initæ dignitatis fidem adſtruit Honorij Epiſtola ad Capitulum Paderbornenſe, Pontificatus anno X. & Bulla Gregorij IX. Eccleſiæ Lucenſis anno MCCXXVII.

Honorij Epiſtol.

Ceſar. Hiſtor. Bacc.

MCCXXVII. & Cæſarius Hiſterbacc. l. 3. c. 6. & l. 10. c. 13. Vghellus, Panuinius & Ciaconius. Deceſſit anno MCCXXVII. *Vghellus. Panuinius. Ciaconius.*

Ioannes de Abbatis-Villa, ex gente Halgrina (quamquàm Sammarthani fratres id negent) Monachus Cluniacenſis Gallus, Epiſcopus in Burgundia Biſuntinus, Epiſcopi Cardin. Sabin. munus onuſque, ſibi à Gregorio IX. impoſitum ſuſcepit anno MCCXXVII. vt manifeſtè apparet ex Bulla Gregorij: S. Friderici Lucenſis, anno MCCXXVII. & ex Regeſto eiuſdem P.P. anno II. Pontificatus; ex teſtimonijs etiam Panuinij, Ciaconij, in Gregorio IX. quibus accedit Iacobus Chiffletius, in Hiſt. Biſunt. Aubergus p. I. in Ioanne de Abbatis-Villa. Spondanus tom. I. Ann. 1230. Vghellus tom. I. Ital. S. in Epiſcopis Sabin. Trithemius, Frizon, in Gallia Purpurata. Bzouius, tom. XIV. An. 1230. Abbas Spanhæm. de ſcriptor. Eccleſ. Zurita, de Rebus Aragoniæ tom. I. l. 3. Anno 1229. Fr. Angelus Manriquez. tom. IV. Annal. Ciſterc. c. 4. Anno 1229. pag. 382. Fr. Anton. Brandanus ab Angelo citatus, ex Archiuio Loruanienſi, Franciſcus Peña in vita S. Raymundi de Peñaforti c. 5. Pariſienſis Anno M. CC. XXXVII. pag. 457. Claud. Robert. in Gall. Chriſt. ſub Archiep. Biſunt. Bibliotheca Cluniacenſ Tabular. Ambianenſ. Necrologium Biſuntin. Extremum diem clauſit anno M. CC. XXXVII. non verò anno M. CC. XL. vt ſcribit Ciaconius; IV. Kal.

Ioannes Halgri. Epiſc. Cardin. Sabin. Sammarth. in Archiep. Biſuntinis. Bulla Gregorij IX. Panuinius. Ciaconius. Chiffletius. Auberyus. Spondanus. Vghellus. Trithemius. Frizon. Bzouius. Abb. Spanham. Zurita. Manriquez. Brandanus. Penna. Paris. Claud Robertus. Biblioth. Cluniac. Tabular. Amnian. Necrol. Biſunt.

Octobris si fidem adhibemus Necrologio S. Ioannis Bisuntini, Auberyo, Vghello, & Sammarthanis Fratribus: Si Tabulario Ambianensi, die XXIII. Septembris.

Sammarthani Fr. in Gall. Christ. tom. 1. sub Archiep. Bisunt.

Gaufrid. Castellion. Episc. Card. Sabin.

Gaufridus Castellonius, Mediolanensis, Ioannem de Abbatis-villa in Episcopatu Sabin. excepit anno proximè citato, qui ad summi Pontificatus apicem euectus, Celestinus IV. dici voluit; sed breui rebus humanis ereptus est, anno M. CC. XLI. Idoneos harum rerum Auctores habemus Platinam, Panuinium, Ciaconium, Auberyum, & Vghellum.

Platina. Ciaconius. Panuinius. Vghellus. Auberyus.

Totus itaque temporis tractus, qui decurrit ab anno M. C. LXXXII. ad annum M. CC. XXVIII. in quem incidit Ioannes Conimbricensis, legitimis S. R. E. Cardinalibus Episc. Sabin. occupatum videmus: nec locum superesse, quem illi adsignemus, ac proinde, veritate explorata, cogimur è Catalogo Cardinalium excludere, quem R. Ecclesia non admittit.

Rem magis premo, & vrgeo. A quo P.P Ioannes Conimbricensis creatus est Cardinalis? quo anno? in qua creatione? A quo legatus à latere in Lusitaniam missus? ne verbum quidem de P.P. de anno; de creatione; de legatione traditum, vel scriptum reperitur. De singulis verò Cardinalibus Episc. Sabin. à nobis supra numeratis, singula disertis verbis traduntur in Bullis, Epistolis, & Regestis P.P. Rom. quibus tantum auctoritatis

pondus ineſt, vt ingens temeritas ſit eorum teſtimonijs refragari. Grauiſſimi præterea ſcriptores, qui de S. R. E. Cardinalibus iuſtos & integros Catalogos texuerunt, de Ioanne Conimbricenſi ne verbo quidem meminerunt; & facile erat in illius cognitionem venire, tum ratione dignitatis Epiſcopi Sabin. quæ inter præcipuas Eccleſiæ Rom. numeratur: tum diuturnitate temporis, quo Epiſcopi & legati ſimul munia exercuit; nempe ab anno M. C. LXXXII. ad an. M. CC. XXVIII. quinquaquinta ferè annis latuiſſe in Luſitania Epiſcopum Cardin. legatum, neque R. Eccleſiæ innotuiſſe, à qua dignitates illas receperat, veritatis ac fidei terminos excedere videtur.

His conſtitutis, ſupereſt vt rationibus, quibus mouentur Seuerinus de Faria, & Cardoſus, faciamus ſatis. Antiquis inſcriptionibus magnam vim auctoritatis ineſſe fatemur; nam ipſa vetuſtas quò longior eſt ab adulatione & gratia, eò à ſuſpicione falſitatis remotior. Quam S. Crucis Templum Conimbricæ exhibet commentitiam eſſe ſuſpicamur: Ioannem quippe Epiſcopum Sabin. repræſentat, non Cardinalem, cùm tamen Cardinalitiæ maximè dignitatis ratio vbique terrarum in litteris & inſcriptionibus haberi ſoleat. Hanc fortaſſe parui momenti rationem eſſe iudicabunt Auctores citati: plura namque extant Cœnotaphia, & inſcriptiones Epiſcoporum Cardinalium, in quibus nulla fit mentio de Cardinalatu. In eorum

gratiam idoneis exemplis rem probemus. Nonnulli ſcriptores affirmant B. Albertum M. Epiſcopum Leodienſem, Cardinalem etiam fuiſſe, & Gulielmum, Rhemenſem olim Epiſcopum: In Necrologijs tamen Leodienſi & Rhemenſi, Epiſcopi ſolummodò dicuntur, non Cardinales. Cuius rationem reddunt Panuinius, Donius d'Atichy, Gomeſius, & Cardinalis Perronius: Epiſcopalis quondam Dignitas Cardinalitiâ præſtantior habebatur: præſtantiorem igitur exprimere in Cœnotaphijs, ac Necrologijs ſatis eſſe ducebunt Maiores noſtri: nec proptereà minorem viuis negabant, aut mortuis detrahebant. A Clemente III. fieri cœptum, inquit Panuinius, quem ſequitur Donius, vt Epiſcopi, Cardinales crearentur, quò maior Cardinalitiæ dignitati honos, maieſtaſque accederet. Primus Ioannes Viterbij Epiſcopus, titulo Cardinalis S. Clementis donatus eſt anno M. C. LXXXIX. Electus poſteà Epiſcopus Cardinalis Albanenſis: & Rufinus, Ariminenſis Epiſcopus, in Cardinalium Senatum ab eodem Clemente cooptatus, anno 1190. Cæterùm huiuſce moris altius fuiſſe initium comperimus. Conradusquippè de Vvittelſbach, Archiepiſcopus Moguntinus, de quo iam ſcripſimus, primus omnium Epiſcoporum creatus eſt Cardinalis Epiſcopus Sabin. ab Alexandro III. Anno M. C. LXIII. Biennio poſt Galdrinus Salas, Archipræſul Mediolanenſis, ſacra purpura ab eodem P.P. decoratus

Claud. Robert. in Gall. Chr. ſub Epiſc. Leodienſ. & Sammarthani Fr. Frizon pag. 176. Donius tom. 1. pag. 235. Claud. ſub Epiſc. Rhem. Panuin. de tit. Card. pag. 721. Gomeſ. in Reg. Cancell. in prœmio 5. C. Perron. ad Iacobum Reg. Angliæ, cap 35. Frizon in Gall. Purpur. Appar. c. 7. n. 1. & an. 1192. n. 194. Panuinius & Donius iam citati.

Ciaconius in Clem.

Frizon in Apparatu Gall. Purp. cap. 7.

anno M. C. LXV. & in Gallia Cisalpina S. A. legatus institutus, quare minùs sapienter scriptum à Dominico Iacobatio, Cardinali, Episcopo Lucerino, à Clemente V. primùm inuectum in Rom. Ecclesiam morem creandi Episcopos, Cardinales, cum multò sit antiquior, ab Alexandro III. inuentus; ductus deindè per consequentium annorum seriem, & ad nostra transmissus tempora, maiori in dies Cardinalitiæ dignitatis incremento: & constanti veluti lege stabilitum, vt amplissima, infrà Pontificalem, Cardinalium dignitas habeatur, & cum Episcopali in Titulis, Cœnotaphijs, ac Necrologijs perpetuò copuletur, ac exprimatur. Hunc igitur morem seruari, & Ioannem Conimbric. Episcopum Cardin. Sabin. inscribi oportebat, vt potè qui Alexandro III. & Clemente III. sit recentior; eiusque obitus inciderit post annum M. CC. XXVIII. cùm iam mos ille vbique receptus esset. Accedit, quòd sex primarijs Episcopatibus Romæ proximis, Ostiensi, Portuensi, Sabinensi, Prænestino, Tusculano, & Albanensi, dignitas Cardinalitia à multis retro seculis coniuncta fuit; neque alteram sine altera, libris inscribi, aut sepulchralibus marmoribus incidi vnquam licuit: Ioannes igitur Conimbric. Cardinalis inscribi debuit, si legitimus fuit S. R. E. Episcopus Sabinensis.

Iacobat. Card. Ep. Lucer.

Petitam ab antiquo Breuiario, & libris *de Mortuis* rationem, satis confutauimus, adductis suis in

locis Bullis, Epistolis & Regestis P.P. Rom. quæ sacram quodammodò fidem faciunt. Alto prætereà Scriptorum omnium de Ioannis Conimbricensis Cardinalatu silentio, res conficitur. Nec leues in illis *De Mortuis* libris, errores à viris eruditis deprehenduntur, qui vel scriptorum incuria, vel rerum ignoratione irrepserunt: neque id graui culpæ tribuendum, cùm libri ea sint ætate conscripti, qua Lusitani in bellicarum artium studia intenti, à litterarum ocio abhorrebant: & facilè decipi, aut falli speciosis illius Cardinalis Episcopi Sabin. & S. A. legati titulis potuerunt.

Altero igitur Ioanne Conimbricensi rejecto, Ioannem alterum sufficimus, Monachum Cluniacensem Gallum, Episcopum Cadin. Sabin. de quo supra sermonem fecimus, Legatum à latere in Lusitania, sub idem fere tempus, quo Templi S. Crucis Conimbric. Dedicatio peracta est. Ciaconius, Vghellus, & Auberyus affirmant, Ioannem, inita statim Cardinalis dignitate, nulla interposita morâ, in Hispaniam à Gregorio IX. legatum missum, Septembri mense, Anno salutis Humanæ M. CC. XXVII. licet Petrus Frizon legationem referat ad sequentem annum M. CC. XXVIII. Nec temeritatis notam incurreret, qui scriberet, Ioannem dum Conimbricæ moraretur, à S. Crucis Canonicis hospitio exceptum esse, cùm in more positum sit, vt Episcopi, & viri Principes per Co-

Ciaconius in Greg. IX.
Aubery p. 1. An. 1227
Vghell. in Episc. Sabin

Frizon. in Ioan. Halgr. &c.

Sammarth. in Archiep. Bisunt.

nimbricam transeuntes, ad S. Crucis Cœnobium amplum satis, commodumque diuertant: & vt erat eximiè pius, inter cæteros Canonicos habitu ijs victuque communi, admodùm religiosè vixisse: inde vulgi opinione creditum, ac sermone vulgatum, Ioannem Episcopum Cardin. Sabin. S. A. legatum, fuisse S. Crucis Conimbr. Canonicum.

Quod si Lusitani scriptores his rationibus minimè acquiescant, nec se deduci de sua sententia patiantur, cùm luce meridiana clarius sit, alium fuisse Ioannem S. Crucis Conimbr. Canonicum à Ioanne de Abbatis-Villa, Monacho Cluniacensi: ille quippe in Lusitatia diu vixit, obijtque v. idus Augusti: iste decessit IV. Kalend. Octobris, vel XXIII. Septembris die, vt alij volunt, Romæ, An. M. CC. XXXVII. Item quia à Gregorio IX. Romæ Cardinalis creatus & Episc. Sabin. Septembri mense, anni iam citati, Conimbricam longissimo terrarum spatio ab vrbe discretam, tam citò peruenire non potuit, vt septima die Ianuarij insequentis anni Dedicationem Templi perficeret; cùm plures ad tam longum iter conficiendum menses desiderentur; Excipio, commodè potuisse tanto locorum interuallo intra tres menses superato, Conimbricam anno ineunte attingere, & septima Ianuarij die Ecclesiam consecrare. *Sammarthani, Tabul. Ambian.*

Verumtamen quia scriptores Hispani vnanimi consensu tradunt legationem Ioannis Episcopi Cardin. Sabin. incidisse in annum M. CC. XXIX. ijs *Zurita de Reb. Arag. in Indice, ad An. 1229.*

Angelus Manriquez in Annal. Cisterc. t. 1. cap. 4. pag. 382. Mariana de Reb. Hisp. l. 12. cap. 14. Francisc. Penna. in Vita S. Raymundi c. 5. Mariana non bene appallat Cardinalem S. Sabinæ.

qui rem magis accuratè examinarunt, credendum; non Frizoni, Vghello, Auberyo & Sammarthanis Fratribus, Externis Scriptoribus, & Ciaconio, licet Hispano, qui in scribendis suæ Gentis rebus non semel peregrinatur. Igitur, legatus (narrant Hispani) Cataloniam primùm adijt, mox Aragoniam, vt Iacobum Regem, bellicarum rerum gloriâ tum florentem, ad Sacrum aduersus Saracenos bellum incitaret. Coacto postea Tarrascone Episcoporum Concilio XXIX. Aprilis, anno M.CC. XXIX. diuortij sententiam tulit inter Iacobum Regem, & Reginam Eleonoram, Alphonso tamen filio legitimo Regni successore declarato. Reliquas deinde Hispaniæ Prouincias, gentesque lustrauit; in Lusitaniam demum, quæ remotior erat, peruenit, & Conimbricæ vrbe Regia, moram traxit. Sub id tempus Tarasia, Legionis Regina Sancij I. Lusitaniæ Regis filia, in Sacrarum Virginum Parthenopem se recepit, in oppido Loruano, vbi antiquum & nobile visitur S. Mariæ Cœnobium, senis fere milliarijs ea ab vrbe disiunctam; ac regio habitu deposito, Cisterciensem induta: sacris hisce Cæremonijs interfuit Ioannes Cardinalis Legatus, quarum memoria extat in Bulla Gregorij IX. Laterani dat. XII. Kal. Ianuarij P.P. anno V.

Bulla Gregorij IX.

Hac ratiocinatione per tot difficultates ducta, explicataque, tandem colligimus Dedicationem Templi S. Crucis Conimbric. à Ioanne de Abbatis-

tis-Villa Episc. Cardin. Sabin. S. A. Legato, non fuisse peractam ineunte anno M. C C. X X V I I. quoniam nonnisi exeunte anno M. CC. X X I X. in Lusitaniam peruenit. Damus Seuerino de Faria & Cardoso quod volunt, à Ioanne, scilicet, Conimbr. S. Crucis Canonico fuisse dicatum anno, diéque ab ipsis designatis, aliaque alijs annis suæ dignitatis munia per Lusitaniam exercita; legitimum tamen (quod caput est controuersiæ) S. R. E. Cardinalem Episc. Sabin. & S. A. Legatum egisse in Lusitania, prorsùs negamus, quod idoneis, ni fallor, rationibus, probauimus.

Anti-cardinalem Pseudoepiscopum Sab. fuisse vehementer suspicamur, creatum à Victore IV. Antipapa, Alexandro III. iusto P.P. æmulo, qui Friderici Ænobarbi potentiâ & authoritate nixus, Sedem Apostolicam inuasit, & retinuit quadriennium, & paucos menses. Vel ab istius in Antipapatu successoribus Callixto III. anno M.C.LXIV. vel Paschali II. anno M. C. LXIX. violenter intrusis. A Victore constat factas plures Anticardinalium creationes, missosque ad Principes Christianos ampla cum potestate legatos, vt partum vi Pontificatum, ceu iure adeptum assereret, atque illos in suas partés pelliceret. Qui cùm vitio schismatis infecti essent, nulla de ijs memoria in P.P. Rom. Litte-

Victor. IV. Antip.

Callixtus III. Antip.

Paschalis II. Antip.

ris, aut Ecclesiæ Annalibus reperitur. Quæ nos scriptis mandamus, non quasi indubitatam fidem habitura; sed, vt ijs antè oculos propositis, & seuerè examinatis, æqui rerum æstimatores ferant pro veritate sententiam.

INNOCENTIO III. PP.

PELAGIVS GALVANVS.

EPISCOPVS CARDINALIS

ALBANENSIS.

ANNO 1211.

PELAGIVS perperam dictus *Caluanus* à Ciaconio, nobili & antiqua Galuanorum familia, ex quâ fortissimi olim Duces, & clarissimi legati prodierunt, natus est, in ea Lusitaniæ Prouincia, quam Durius & Minius, clari vterque aluei & nominis fluuius, alluunt. Arnoldus Vuion, & Ferdinandus Vghellus cum Auberyo, & Spondano, Benedictini Ord. Monachum fuisse scribunt. Canonicum dicunt Regularem, Emanuel Seuerinus de Faria, & Georgius Cardoso, Lusitanarum antiquitatum peritissimi, quibus meritò fides habenda est. Horum sententiam scriptorum planè confirmat vetustus codex M.S.S. qui in Tabulario Monasterij *de Costa* asseruatur. Est illud antiquitate venerabile, & religione augustum in Lusitania, ad Vimaratum oppidum, Cœnobium D. Marinæ dicatum, à Mafalda Regina Alphonsi I. Lusitaniæ Regis vxo-

Ciacon. sub Innoc. III.

Arnold. l. 2. Ligni vitæ. Vghell. t. 1. Ital. Sacra sub Episc. Alban. Auberyus p. 1. f. 218. Spondan. Anno 1219. Seuer. de Faria. De Card. Lusit. §. 2. Cardoso in litt. dat. Vlyssipp. X. Apr. 1661. Tabular de Costa. Acunha, in Histor. Brachar. p. 2. c. 21. n. 3. & c. 77. n. 2.

Cap. Cùm non liceat de præscript.

re conditum, & Canonicis Regularibus attributum; cuius meminit Innocentius P.P. in Cap. Cùm non liceat: decursu temporis, Canonicis aliò translatis, à Iacobo, Ducè Brigantiæ, Eremitis D. Hieronymi, vt id incolerent, Apostolica authoritate donatum. In eo Pelagius religioni nomen dedit, diúque inter Canonicos vixit magna virtutis opinione. Matura iam probitate vir, & litteris probè instructus, in Italiam religionis causâ, iter suscepit. Romæ, præclarum cum doctrinæ, tum pietatis specimen præbuit: quarum fama ad Summum Pontificem, qui tum erat Innocentius III. perlata, ab eodem in Cardinalium senatum adlectus est, titulo Diaconi S. Luciæ in Septisolio (Si Diaconiam, *Titulum*, dicere rite possumus) in VI. creatione, mense Decembri, anno à Christo nato M.CC. VI. Ciaconius ineptè reijcit Pelagij creationem, in quintam, & titulum attribuit S. Mariæ in Septisolio; quem postea, inquit ille, in *S. Cecilia* mutauit: errores Typographo, non Ciaconio, imputemus. Anno CC. XI. Albanensis Episcopi dignitate ab eodem Pontifice decoratus est.

Ciaconius.

Odoric. Raynald. tom. 13. Anno 1213. n. 6. Bzouius eod. An. n. 14. Spondan. An. 1213. n. 24.

Illustre sane testimonium Pelagio reddidit Innocentius in litteris ad Henricum Orientis Imperatorem datis, in quibus illum commendauit ob Doctrinæ præstantiam, & vitæ integritatem. Magna erat per id tempus Constantinopoli morum solutio, quæ ad Sacros etiam viros peruaserat, &

viuendi licentia doctrinam quoque corruperat: ac nisi sisteret, periculum erat, ne Latini Græcorum erroribus inficerentur. Idcircò Pontifex grassantem luem illam & sacra inuadentem opportunè reprimere decreuit, Pelagio Episcopo Albanensi ad id misso summa cum auctoritate Legato. Is Constantinopolim cùm venisset, anno M. CC. XIII. & Henricum Innocentij verbis salutasset, rem Ecclesiæ ità egit, vt non exiguam Latinis vtilitatem, & Pontifici Rom. gloriam attulerit: Græcorum tamen inuidiam, odiumque sibi conflauit, quoniam à nefario schismate, ad rectam religionis normam illos reuocare omni ope nitebatur. Georgius Logotheta, Auctor Græcus, Schismaticus, missum ab Innocentio Pelagium narrat, vt Græcos ad Rom. Pontificis obedientiam alliceret; eosque Latinis conciliaret. Addit prætereà, Legatum dominantis habitu, fastuque assumpto, Regiam quodammodò personam ea in vrbe gessisse, sago purpureo, purpureis talaribus, toto denique corporis habitu ad Maiestatem composito. Ita fere sacros Latinorum ritus de suæ gentis more Græculus audet taxare. Hunc tamen multis pòst annis colorem Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi I. omnibus Cardinalibus communem, ac proprium esse voluit; vt suo loco diximus.

Georgius Logoth. in Chron.. Constantinop. lib. 4. quod Latinitate donauit Leo Allatius. n. 34. & 35.

Conc. Lugdun. I. Oecumenic. xiii. Anno 1245.

Innocentio III. vitâ functo, anno M. CC. XVI. Honorius hoc item nomine III. vnanimi Patrum

Vghellus in Episc. Alban.

consensu, Pontifex renuntiatur. Anno insequenti M. CC. XVII. Albanensis Ecclesiæ priuilegia, in gratiam Pelagij, Pontificio diplomate confirmauit. Mox animum appulit ad Hierosolymam recuperandam. Sacrum igitur bellum indixit: Christianos ad id Principes, missis litteris ac nuntijs, sollicitauit. Pelagium Episcopum Cardinalem Albanensem excelsi animi virum, ac tanto gerendo bello idoneum; per Orientem Legatum declarauit, qui bellatorum cruce insignium copijs, suprema cum potestate præesset. Anno M. CC. XVIII. ingenti collecto exercitu, cum Iacobo, Andriæ Comite, mare traiecit. In Ægyptum tota belli moles incubuit, quod ea subactâ Prouinciâ, pronum esset, reliquas, ac ipsam Hierosolymam, quod caput Sacræ expeditionis erat, Christianorum armis subiugari.

Richard. à S. Germano in Chronico.

Regest. Honorij l. 2. epist. 173. Odoric. Raynald. An. 1218. Philipp. Alben. in Litteris ad Cestr. & Licoln. Comitei.

Damiatam primùm, florentissimam ad Nili ostia vrbem, Pelusium quondam, Æliopolim postea appellatam, Pelagius obsedit, triplici quamquam muro cinctam & fossa è fluuio ducta, permunitam. Tenuit obsidio XVII. fere menses: cum Melendino, Mealinum alij dicunt, & Coradino, Sultanis fratribus, qui suppetias obsessæ vrbi ferebant, non semel pugnatum: Maius Christiani periculum adiere à subita, nec opinata Nili inundatione; ac fæda lue per exercitum late vulgata. Ijs tamen difficultatibus, diuina virtute, superatis, & repulsis ingenti clade Sultanis, & vrbis propu-

Spondan. An. 1218. Iacob de Vitr. Hist. Orient. lib. 3. Oliuer. Saxo Germanus in Epist. ad Engelbert. Archiep. Coloniens. Parisius, in Hist. Anglic. Godefrid. in Annal. Iacob. Bosius, Hist. Hospit. lib. 15. Vincent. Bellou. l. 30. c. 88.

gnatoribus fame, ferroque consumptis, die denique XXIV. Augusti, anni M. CC. XIX. Damiata capta est; vt tradit Richardus à S. Germano, illius ætatis scriptor; cuius vestigijs Hieronymus Marullus insistit: Alij certè Auctores eodem anno, sed nonis Nouembris captam ferunt. Gratiæ primum à nostris superis actæ, quorum benignitate res feliciter euenisset. Solemnis mox supplicatio à Legato indicta: & Maior vrbis Basilica Deiparæ consecrata, in qua diuina officia peragerentur. Plures Christianorum Militum fame, ac labore confecti, pauciores, in tam longa obsidione, ferre extincti, triginta fere millia desiderata, inquit Godefridus, qui illa vixit ætate: Alij ad septuaginta millia peruenisse affirmant. Captæ Damiatæ gloria penès Pelagium stetit; quam Blondus immeritò tribuit Ioanni Columnio, Cardinali S. Praxedis: & nonnulli scriptores Blondum secuti, rebus minùs benè exploratis, in eundem errorem inciderunt: tanti interest, certum habere ducem quem sequaris. Interfuisse D. Franciscum, Minoritarum parentem, Damiatæ expugnationi, idonei scriptores testantur.

Nauclerus. gener. 31. Abbas Stad. in Chron. Stero in Annal. apud Canis. Antiq. lect. l. 6. f. 276. Richard. à S. Germ. in Chronico. Hieron. Marullus in Vita Guede Monterini. Acuto, Rhod. Magistr. 13. Paul. Æmil. in Philippo. Augusto, ad finem. Richard. Vuassemburg in Antiquit. Belg. p. 3. Sanut. in Hist. Ter. Sanct. lib. 3. Aub. Miraeus, in Chron. ad An. 1218. Mayer. de Reb. Fl. A. 1219. Corues, in Hist. Mediolan. p. 2. pag. 189. Blondus Decad. 7. Platina. in Hon. III. Plato, de offic. Cardin. cap. 32. Vvadingus, in Annal. Minor. An. 1219. pag. 211. & alij.

Vrbe à Christianis occupata, & valido munita præsidio, solutâ militari disciplinâ viuere, otio torpêre, de reditu in patriam milites cogitare cœperunt, ceu sacra iam expeditio confecta foret, & Hierosolyma expugnata, neque vlli debellandi hostes superessent. Accessit Ioannis Bren-

Spondan. Anno 1219. Raynald. eodem anno.

næ Regis Hierosolymitani, magno rei Christianæ incommodo, importuna ab exercitu profectio: Alij aliam profectionis causam assignant. Rerum peritiores scribunt, quòd non benè cùm Pelagio conueniret. Quisque sibi in vrbe, castrisque primas deferri volebat. Neque legatus parem; neque Rex superiorem pati poterat: hinc orta inter vtrumque discordia, quæ temporis cursu adulta creuit, & in rei etiam publicæ perniciem cessit. Sanutus Torsellus, senator Venetus, narrat, Ioannem audita in castris Lieuij Armeniæ Regis morte, Ptolomaidem concessisse, obtinendi illius Regni spe erectum, quod iure vxoris ad se pertinere credebat. Interim tamen vxore cùm filio sceptri herede, morbo extinctis, occupandæ Armeniæ spe deiectum in castra redijsse. Extant scriptæ ab Honorio ad Ioannem Literæ, quibus reditum in castra suadet. Vtcumque sit, compertum est Ioannis discessum, alieno sanè tempore, & nostris valdè incommodo, contigisse.

Sanut. Torsel. l. 3. p. 1. c. 9.

Regest. Honorij III. lib. 4. Epist. 26.

Illo ad castra reuocato; torpentes otio milites ad persequendum alacriter bellum, vehementi oratione Pelagius excitauit. De belli gerendi ratione inter exercitus Duces agitatum. In quam primùm Prouinciam Christianorum impetus vertendus esset. Mouenda Pelusio castra, atque in Ægypti interiora, aperta iam Damiatæ portâ armis victricibus penetrandum, differebat Legatus. Non laturos nostrorum impetum hostes, concepto

Auctores iam adducti.

ex

ex Damiatæ expugnatione pauore Ægypto subiugata, Hierosolymam quoque victorum imperio accessuram,cùm altera ab altera omnino penderet; nec nisi submissis ab Ægypto bellatorum subsidijs, Hierosolyma nixa staret. Porrò Ioannes Brenna, & rei bellicæ peritiores in alia à Pelagio sententia erant. Acriùs inter Christianos dissidijs, quàm aduersùs Saracenos armis pugnabatur. Legati tandem auctoritate, & censuris permoti iter ingressi Memphim versùs, parum processerant, cùm se iniquo loco conclusos, & ab hostibus circumuentos senserunt. Neque progredi; neque regredi poterant. Mox succedente stato Nili incremento, ruptisque de industria à Saracenis cataractis alueo intrà ripas cogendo,erectis, longè lateque inundante campos; vix pedibus insistere, armaque sustinere valebant milites Christiani. Insederant prætereà hostes itinera, per quæ commodus ad castra aditus esse poterat, & omnem importandi commeatus modum, spemque præciderant. Quo effectum est vt rerum omnium penuria nostri laborare, fame confici, morbis infici, & ab hostibus, è tuto pugnantibus omni telorum genere peti cæperint. Eò res perducta erat, vt vel delendi ad vnum Christiani bellatores essent, vel in miseram seruitutem abducendi. Sed Diuini Numinis prouidentia, desperatis propè rebus, præsentem attulit opem, & Saracenis de ineundo pacis fœdere, mentem

Richard. à S. Germano pulchra; sed lugubri Ode Damiatæ restitutionem deplorat. quam legas apud Raynald.

iniecit. Ergò, non parùm æquis, pro illis rerum articulis, conditionibus stabilitâ, Damiata à Christianis Sultano restituta: Crux Dominica à Sultano Christianis reddita: captiui vtrimque dimissi. Pactæ per Ægyptum, Syriamque ad octo annos induciæ. Captæ Damiatæ gloriam, & amissæ dedecus Legatus Pelagius tulit. Iure, an iniuria? nostrum non est iudicare.

Vana quadam prædictione deceptum, magni nominis Scriptores prodiderunt. In fatis quippè esse audierat, venturum ex Hispania Ducem, qui debellatis Saracenis, vniuersas ad Orientem Prouincias, & ipsam Hierosolymam Christianę quondam religionis magistram, Christianorum imperio, legibusque subiiceret. Hoc vaticinio ductus, speque lactatus, cuncta sibi Hispano, veluti ad Orientis imperium & salutem nato, feliciter euentura sperabat, & oraculi fidem, re impleturum credebat. Cæterùm infelix rerum exitus docuit fallaces Pelagij spes, vaticiniumque inane fuisse. In hunc ferè sensum D. Antoninus, Spondanus, Seuerinus de Faria, aliique Authores de Pelagio scripserunt. Odericus tamen Raynaldus, nobilis Ecclesiasticæ Historiæ post Baronium, Bzouiumque scripor, Pelagio, credulitatis, aut imprudentiæ notam non inurit. Imò ex litteris Honorij PP. quas allegat, constare tradit, impositam sibi Legationis Prouinciam egregiè sustinuisse. Graues illum inter & Ioannem Brennam

D. Anton 3 p. tit. 19. c. 2.
Basil. Ioan. Helor. l. 3. c. 2.
Paulus Æmil. lib. 6.
Spondan. anno 1121. n. 19.
Vvassemburg. in Antiquit. Belg. p. 3.
Seuerin. de Faria §. 2.
Odoric. Raynal. t. 13. ad annum. 1221.
Honorij PP. Littera.

discordias exarsisse comperimus: in has maximè infelix belli exitus referendus: quod hæreditarium vitium in Principes Christianos à Maioribus traductum, reliquas etiam ad recuperandam Hierosolymam expeditiones, annis insequentibus susceptas, non sine graui nominis Christiani infamia, corrupit. Pertinacis virum ingenij, ad imperandum parum idonei, Pelagium vocant Vghellus & Spondanus: Si tamen is est, *inquiunt*, nigri Ordinis Cardinalis, qui Innocentio PP. & Cardinalibus acrius, quàm per erat, restitit, noluitque subscribere Priuilegio Cisterciensi religioni ab ijs concesso. Verumtamen hunc Nigri ordinis Cardinalem, Pelagium esse inficiamur, qui Canonicus Regularis fuit, non Monachus Benedictinus.

Vghellus.

Spondanus. Cæsarius Mirac. 7.

Dum legati officio in Oriente fungeretur, Rupinum Antiochiæ Principem, Honorij mandato, Armeniæ Regem inauguratum coronauit. Componendis item controuersiis in Cypro insulâ Clerum inter & Regni Principes excitatis, incubuit, illasque magna prudentiæ & æquitatis laude diremit. In Italiam ab Oriente reuersus, cum Iacobo Gallono Cardinali S. S. Siluestri & Martini in Montibus, ab Honorio missus est ad Fridericum II. Germaniæ Imper. vt moras nectentem ad sacrum bellum impelleret; Ecclesiasticisque pœnis cogeret, si opus foret.

Spondan. An. 1222. n. 4. Ciacon. sub Innocentio III. Bzouius An. 1221. n. 1. Raynald. eod. Anno.

Spondanus. Aubcryus. Litter Frider. Imper.

Honorio P.P. demortuo A. MCCXXVII. Gregorius

IX. ingenti bonorum omnium gaudio suffectus est. Hic bellum Cæsari indixit, quòd Ecclesiæ Rom. iura violasset, & multa Pontificiæ ditionis oppida vi occupasset. Pelagium & Ioannem Brennam, Rom. exercitûs Duces designauit. Horum auspiciis, nonnullæ in Sicilia citra Pharum Arces receptæ; & Caieta, vrbs munitissima, expugnata. Cúmque seueriùs, quàm sacrum virum deceret, Pelagius in hostes, qui sumptis in Pontificem armis rebellauerant, militari more animaduerteret: Gregorius litteras ad eundem dedit plenas prudentiæ & benignitatis, in quibus clementiam & pietatem maximè commendabat.

Richard. in Chronic. Odor. Rayn. An. 1229. n. 32. Abrah. Bzou. eod. Anno.

Gregorij litt. dat. Perusij xiv. Kal. Iun. Anno 1229. Pontificatus an. II.

E medio Victoriarum cursu Pelagius in montem Casinum se recepit: quo in monte antiquissimum, & nobilissimum visitur S. Benedicti Cœnobium, vt ab armorum strepitu semotus, & publicis curis vacuus, animum honestis meditationibus excoleret. Breui interiecto tempore, ibidem fato concessit, annis iam grauis, & laboribus, pro Dei Ecclesia exantlatis clarus, die xxx. Ianuarij, si fidem habemus Auberyo & Vghello, & Arnoldo Vuioni, qui id certò constare scribit ex vetusto Kalendario M. S. S. de anno, quo obiit, altum apud scriptores silentium. Decessisse certum est sedente Gregorio IX. Imperante C. P. Balduino II. in Germania, Friderico II. regnante in Lusitania, Alphonso II. vel San-

Auberyus. Vghellus. Arnoldus Vuion.

cio II. Gregorius Cardoso, scriptor Lusitanus, datis ad me litteris scribit, constare ex vetusto codice M.S.S. Monasterij de Costa, de quo suprà meminimus, obiisse Pelagium Kalendis Iuniis, iisque consentire codicem alterum, *de mortuus* dictum, qui in Archiuio S. Vincentii Lysipponensis reperitur. In re adeo obscura, & incerta nil certò statuimus; in Arnoldi tamen sententiam inclinamus. Panuinius deceptus est, qui Pelagii obitum in Ægypto contigisse putauit: & Bzouius, qui Episcopum dixit Ostiensem: quem tamen P.P. Rom. Innocentius, Honorius Gregorius, & omnes ad vnum scriptores, Episcopum semper Albanensem, Ostiensem nunquam appellant.

Gregorius Cardoso in litter. x. Aprilis. An. 1661. dat. Vlyssippone.

Tabular. Monast. de Costa.

Tabular. S. Vinc. Vlysipp.

Panuinius l. 1. pag. 148.

Bzouius An. 1219. n. 1.

De Pelagii ad Montem Casinum sepultura diligenter inquisiuimus; nec quicquam certi assequi potuimus. Constat veteri destructo templo, nouum erectum: & multa illustrium virorum sepulchra, quæ in illo erant, nullis incisis elogiis, aut epitaphiis, quæ sepultorum nomina distinguerent, & memoriam alerent, suis à locis amota, atque aliò tumultuariè translata. Id fuit in causa vt Pelagii Cardinalis, & aliorum nomen ac memoria, per summam hominum incuriam penitùs interierit. Illius tamen laudes perpetuò manebunt descriptæ in litteris Apostolicis, quas Innocentius III. & Honorius III. præstantissimi P.P. ad Orientis Principes

Duceſque dederunt : in quibus illum diſertis verbis appellant, *Virum prudentia, honeſtate, doctrima & benignitate conſpicuum.*

De Pelagio Epiſcopo C. Albanenſi ſcripſerunt ij quos ſuprà citauimus Authores, maximè Spondanus, Raynaldus, Bzouius, & Vghellus, (Antiquiores omitto) è Luſitanis, Emanuel Seuerinus de Faria, lib. de Card. Luſit. §. 2. & Georgius Cardoſo, in opere nondum excuſo, *de Tiaris Luſitanis.*

Galuana Gentis Symbolum eſt: Aquila Nigra aurea Lunâ volantis pectori inſertâ, in areola argentea.

ORDONIVS

Nicolao III. Pr.

CARDINALIS EPISCOPVS TVSCVLANVS.

Anno 1278.

ORDONIVS, quem aliarum gentium Historici, Ordeonum, & Odonem appellant; cognomine Alurz, natione Lusitanus, incertum qua vel occasione, vel fortuna in Castellam iuerit, & in maiori Ecclesia Burgensi, non verò Palentina, vt scribit Vghellus, Abbas Fonsellensis fuerit. In Galliam postea se contulit, vt Concilio Oecumenico XIV. quod Gregorius X. Lugdunum edixerat, interesset, in quo tum pietatem, tum Doctrinam suam Patribus vniuersis, & Gregorio maximè probauit: Is illum Bracharensi in Lusitania Ecclesiæ, quæ de Primatu Hispaniarum cum Toletana contendit, per eos dies Archipræsule destitutæ præposuit, anno humanæ salutis M. CC. LXXV.

Vghellus t. 1. Ital. sacræ in Episcop. Tusculan. anno 1274.

Panuinius in Nicolao III. Ciaconius.

Aubery p. 1. Hist. Card. pag. 314.

Ab Illustrissimo D.D. Roderico Acunha, Archiepiscopo Bracharensi, eruditissimo scriptore,

Acunha in Hist. Brachar. p. 2. c. 35.

in multis dissentire cogimur: In Historia quippè Ecclesiastica, quam de Archiepiscopis Bracharensibus accuratissimè conscripsit, narrat, Petrum Iuliani, seu Petrum Ioannem, qui procedente tempore, ad Pontificatum assumptus, Ioannis XXI. nomen adamauit; Antistitem Bracharensem tum fuisse: atque huic ad Episcopi Cardinalis Tusculani dignitatem promoto, Sancium, hoc nomine secundum, suffectum esse. Hunc verò breui demortuum, successorem Ordonium habuisse. Quæ cum Regesto Vaticano minimè conuenire videntur. Vt rem in conspectum demus. Vacabat quidem Antistite Ecclesia Bracharensis, atque vt parem tanto obeundo muneri Pastorem, Capitulum obtineret, Petrum Ioannem à Gregorio Archiepiscopum postulauit. Cæterum Capituli precibus annuere non licuit Pontifici, creato paulò ante Ioanne Episcopo Cardinali Tusculano. Ordonium igitur, Belicardi (Belcairum Latiniores dicunt non ignobile in Gallia ad ripam Rhodani oppidum, in quo tum Pontifex versabatur) Archiepiscopum Bracharensem designauit, de plenitudine potestatis XVIII. Maij, anno M. CC. LXXV. Hæc in Regesto Vaticano traduntur, quod integram, & sacram quodammodò fidem facit. Concinunt solennes Donationis litteræ, publicis tabulis consignatæ, ab Alphonso III. Rege Lusitaniæ datæ anno M. CC. LXXIV. ad Gondicalum Garciam, Signiferum maximum,

Regest. Vatican. ep. 30. dat. Belicardi xviij May Pontificat. Anno 4.

Brandan. in Monarch. Lusit. lib. 15. c. 36. Acunha p. 2. cap. 35.

ximum, & Eleonoram eius coniugem, Alphonsi filiam, quibus subscribunt proprijs Chirographis Episcopi Lusitaniæ, *Vincentius Portucalensis*, *Dominicus electus Lamacensis*, *Matthæus Vlysipponensis*, *Durantes Eborensis*, *Vascus Egitanensis*, *Bartholomæus Sylvensis* : *deindè* subiungitur : *Ecclesia Bracharensis vacat.* Quæ cum Vaticano Regesto optimè cohærent: Ecclesiæ quippe vacanti anno M.CC.LXXIV. opportunè præficitur anno insequenti M.CC.LXXV. Archiepiscopus Ordonius.

Petrum Ioannem à Capitulo Bracharensi electum, ac postulatum fuisse, sede illa vacante, Præsulem, idoneis moti rationibus, quas in eius vita retulimus (etsi in contrariam partem inclinaret animus) concessimus: quod satis esse videbatur, vt se nominaret, ac inscriberet *Archiepiscopum Electum*, cuius tenoris litteras eo in loco citauimus. Firmam, ratamque à Pontifice habitam eius Electionem meritò negauimus. De Sancio II. quem Ioannem inter & Ordonium Acunha interponit, minor superest ambigendi locus; nam vel iusto loco non ponitur: vel electus tantummodò fuit, & breui temporis spatio interiecto, è viuis excessit; proindeque vix numerandus est inter Archiepiscopos Bracharenses. *Acunha cit. c. 37.*

Plus negotij nobis facessere poterant Ioannis electi Archiepiscopi Litteræ ad Bracharenses datæ Perusij; quas ad alendam tanti Pontificis memoriam in Tabulario Collegij Conimbricensis *Ioan. Barrius, in M. SS.*

N

S. I. in Lusitania custodiri scripsimus; Verùm huiuscemodi difficultatem parui momenti esse probauimus, cùm de Ioannis vita & rebus egimus. Ijs difficultatibus expediti, liberum deinceps narrationis cursum teneamus.

Bracharensi Ecclesiæ triennium ferè præfuit Ordonius, ducto Archiepiscopatus initio ab anno M. CC. LXXV. & fine imposito anno M. CC. LXXVIII. quo inter Purpuratos Ecclesiæ Patres adscriptus est, designato sibi successore Fr. Tellio Minorita, excellenti doctrina & probitate viro, qui Prouincialis munus per Castellam ea tempestate obibat. His confirmandis pondus afferunt litteræ adductæ ab Fr. Antonio Brandano, Monacho Cisterciensi, Regio Lusitaniæ Chronologo; in quibus ampla Castrimarini, nobilis in Algarbijs Oppidi, priuilegia continentur ab Alphonso Rege concessa, & ab Ordonio Archiepiscopo Bracharensi, de more gentis subscripta, die VIII. Iulij anno M. CC. LXXVII. De alijs litteris anni superioris M. CC. LXXVI. meminit Acunha, quæ in Archiuio Bracharensi reperiuntur, scriptæ die Septembris XIII. ex quibus planè conuincitur Ordonium, Archiepiscopum Bracharæ per id tempus egisse.

Vvading. in Annal. Min. ad annum 1278. Vghellus in Episc. Tuscul.

Brandanus.

Acunha p. 2. c. 38. n. 6.

Superest vt acceptam Cardinalis dignitatem exactiùs prosequamur. Nicolaus III. Ioanni XXI. Pontifex subrogatus (quem à modestissimis moribus, *Compositum* dixerunt) præstantes Doctrina

& religione viros impendio conquirebat, quos ad Cardinalatus fastigium proueheret, vnius tantùm Dei gloriâ, & Romanæ Ecclesiæ bono antè oculos proposito: cùm ad continendos in officio Christi fideles, nihil potentius duceret, quàm sanctos, castosque Principum mores, in quibus, veluti speculis, quid sibi fugiendum, sequendumve sit, intenta mentis acie intuentur. Ordonium igitur, peregrinæ licet nationis hominem, ijs dotibus tum maximè florentem, Episcopum Cardinalem Tusculanum creauit, Romæ XII. Martij anno M. CC. LXXVIII. vt grauissimi scriptores affirmant Panuinius, Auberyus, Acunha, And. du Chesne, Vvadingus. Vghellus, annum M. CC. LXXVII. Ciaconius, diem Martij XIII. assignant. Alter anno vno: die vno Alter à nobis immeritò dissentit.

Acunha.
Panuinius, in Nicolao III.
Ciaconius.
Aubery p. 1. pag. 314.
Du Chesne, in Hist. P.P.
Vvadingus t. 2. an. 1278.
Vghellus.
Ciaconius, in Nicolao.

De Titulo Cardinalatus, *inquit Acunha*, scriptores nullatenus meminerunt. Cæterum Sex Primarij Cardinales Episcopi, Almæ vrbi proximi, non alijs quàm suarum Ecclesiarum titulis insigniri consueuerunt: ij sunt Ostiensis, & Veliternus, vniti per Eugenium III. Portuensis & S. Rufinæ, vniti per Callixtum II. Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, & Albanensis. Vno tamen excepto Cardinali S. R. E. Vicecancellario, qui vnum ex ijs Episcopatibus optare potest, retento S. Laurentij in Damaso, vbi sedes est Cancellariæ Apostolicæ, Cardinalis titulo: is

Acunha, in fine 2. p. cap. 108.
Panuinius de Card. tit. p. 60.
Vghellus.
Aubery. Miraus, in Notitia Episcop. Initio.

enim Vicecancellarij officio, ac dignitati perpetuò annectitur, neque disiungitur: quamquam Vicecancellarius ad aliquam ex illis sedibus euehatur. Argumento sit Eminentissimus Cardinalis Franciscus Barberinus, qui Cardinalem S. Laurentij in Damaso, & Episcopum simul Portuensem gerit. Non ignoro à Panuinio, & alijs annotatum, nonnullos Cardinales, Episcopos fuisse institutos, suis tamen antiquis titulis, vel Diaconijs retentis; qui abusus (Panuinij verba sunt) post Eugenium IV. in Rom. Ecclesiam inductus, Sixto IV. P.P. maximè inualuit. Iulianus quippè illius nepos, ad Ostiensem Episcopatum promotus, titulum S. Petri ad Vincula retinuit. M. Barbus, Episcopatum Prænestinum optauit, & Titulum S. Marci non demisit. Decursu temporum, idem ab alijs Cardinalibus factitatum; à Caruaialio, De cupis, Farnesio, Sfondrato. Olim tamen inuiolata lege seruatum, vt qui vnam ex illis optaret Cathedram; titulum vel Diaconiam omninò demitteret. Cùm ergò Ordonius primùm Cardinalis Episcopus Tusculanus creatus fuerit, nullum alium titulum, quàm sui Episcopatus, habuit.

Frizon, in Gallia Purpur. in Apparatu c. 14.

Cardinalium Presbyterorum Princeps fuit, *Priorem*, Romano ritu appellant, Sedente Martino II. dicto IV. & Honorio IV. quo Pontificatum ineunte, Romæ decessit anno M. CC. LXXXV. de die quo obiit, minimè constat: in qua annorum supputatione deducenda, magni nominis Authores

Imper. Rodulpho. I. & Andronico. c. p.
Dionysio Rege Lusitaniæ.
Panuinius, in Mart. IV.
Ciaconius.

decepti sunt. Vnum ex iis prætetire non possumus M. Ægidium Gonçalez de Auila, præstanti virum ingenio, Regium Philippi IV. Historicum. Is in litteris Madriti datis ad Illustrissimos Archiepiscopos Bracharenses D. Augustinum de Castro, & D. Rodericum Acunha disertis verbis affirmat, Ordonium obiisse Salmanticæ in Hispania anno MCCL. (Præerat tum Ecclesiæ Innocentius IV.) & in Basilicæ Maioris claustro sepultum esse, ad Deiparæ Sacellum ab *Stella* nominatæ, dictisque fidem indubitatam facere huiusmodi Epitaphium Sepulchrali lapidi incisum.

M. Ægid. Gonçalez d'Auila.

V. Kal. Iulij obijt famulus Dei Ordonius Archiepiscopus Bracharensis, Pater pauperum anno MCCL.

Hæc tamen facilè refelluntur, tum ex iis quæ diximus; tum ex litteris Salmanticæ datis anno MCCLV. in quibus Ordonius Episcopus confirmat quoddam priuilegium à Petro Salmanticensi Antistite antè concessam. Ex qua confirmatione liquet, clarissimæ illius Vrbis Episcopum fuisse Ordonium, priusquam ad Lugdunense Consilium iret. Liquidò item comperimus multis post annis Archiepiscopi Bracharensis, & Episcopi Cardinalis Tusculani dignitates obiisse: Id vnanimi consensu tradunt Panuinius, Ciaconius, Auberyus, Vuadingus, Acunha, Vghellus: Romæque, non Salmanticæ, ex hac vitâ migrasse anno MCCLXXXV. quapropter supra

Acunha. Vghellus. Panuinius. Ciaconius. Aubery. Vuadingus.

adductum Epitaphium, temporis vetustate consumptum, vel hominum artificio mutatum suspicamur. Defuncti fortassè corpus in Hispaniam deportatum fuit, vt patrio sepulchro conderetur: inde capta occasio inscribendi sepulchro. *Salmanticæ decessisse.*

Omnes ferè Lusitaniæ Scriptores Ordonij Cardinalatus latuit, quem modò explorata veritate, è tenebris erutum in lucem damus. Ferdinandus Vghellus, Monachus Cisterciensis, non vulgaris eruditionis Author, nobis in vrbe agentibus facem prætulit; & quâ incedendum esset, viam signauit, relato Ordonio Lusitano inter Episcopos Cardinales Tusculanos: inde viâ iam facili, & certa rerum luce, multa ab Historia Ecclesiastica Archipræsulum Bracharensium per Acunham conscriptam decerpsimus, & cum Regesto Vaticano contulimus, vt maior scriptis fides haberet.

Vghellus, in Elench. episc. Tuscul. tom. 1. Ital. Sacra.

Regest. Vatican.

Ordonij Cardinalis meminerunt Panuinius & Ciaconius in Nicolao III. Martino II. Honorio IV. Vghellus tom. 1. Italiæ sacræ in Episcop. Tusculan. Aubery. in Hist. Gener. Cardin. Gallicè conscripta, parte 1. ad annum 1278. pag. 314. And. du Chesne, in Histor. P. P. Rom. Vvadingus in Annal. Min. tom. 2. anno 1278. Acunha in Histor. Brachar. inter Archiepiscopos recenset Ordonium, parte 2. cap. 38. in Appendice verò, seu *Aduertentijs* (ita vocat) ad finem operis, cum-

dem Cardinalem agnoſcit cap. 108. nonnulla addit minus benè examinata. Ægidius de Camora, de Viris Illuſtribus Hiſpan. Ægidius Gonçales de Auila in litteris ſuperiùs adductis; Gaſpar Aluir, Lonſada, Antiquarius Luſitanus in ſuis M. S.S. Georgius Cardoſo in Agiologio S.S. Luſitanorum, quod nobis in Vrbe degentibus à Luſitania ſemotis videre non licuit.

PETRVS GOMESIVS BARROSVS.

GREGORIO XI. PP.

EPISCOPVS CONIMBRICENSIS

ANNO 1371.

& Vlyſiponenſis Preſbyter Cardinalis S. Praxedis.

VITAM Petri Gomeſij S. R. E. Cardinalis, minùs accuratè deſcripſit Illuſtriſſimus Acunha, Archiepiſcopus Bracharenſis, & poſteà Vlyſipponenſis: Vnum quippè fuiſſe exiſtimat hoc nomine Cardinalem; cùm tamen duo extiterint: antiquior alter, alter recentior; qui, rebus præclarè geſtis longis temporum interuallis, inter ſe diſiuncti floruerunt.

Acunha, in Hiſt.. Eccl. Vlyſipp. p. 2. cap. 99.

Vt rem totam in conſpectum demus; fateri neceſſe eſt binos fuiſſe Barroſos, eodem nomine, eadem patriâ, ac titulo Cardinalitio S. Praxedis inſignitos, qui in diuerſa tempora inciderunt; & multa patrarunt, quæ in vnum conferri nequeunt. Senioris vitam leui calamo percurrere conſtitui, vt iunioris, qui Epiſcopatum Conimbricenſem, & Vlyſipponenſem geſſit in Luſitania, rebus, quæ in obſcuro ſunt, lucem afferamus.

Senior Cardinalis Petrus Gomeſius Barroſus, in Prouincia Toletana clariſſimis parentibus natus eſt, Ferdinando Perez Barroſo, & Mencia

Ioan. Nunez Villaſan. in Chron. Alph. XI.

Garcia

Garcia Sotomaior. Panuinius, familiâ, non patriâ, Toletanum perperàm credidit. Apud Alphonsum XI. Castellæ Regem, multum gratia & auctoritate valuit: is sibi familiarem & consiliarium adhibuit, ac Nouæ Carthaginis in Hispania Episcopum designauit. Cúmque illius fama virtutum per Hispaniam volitaret, peruenissetque in Galliam ad Summi PP. aures, qui tum erat Ioannes XXII. Petrum, Presbyterum Cardinalem creauit titulo S. Praxedis, in quatuor temporibus Aduentus, anno M. CCC. XXVII. A Benedicto XII. qui demortuo Ioanni successit, procedente tempore, ad Sabinens. propè vrbem, Episcopatum euectus: A Ioanne in Hispaniam, cum Legatione missus, pro sancienda concordia Alphonsum inter, & Ioannem Emmanuelem, aliosque regij sanguinis Dynastas, qui à Rege defecerant. A Benedicto verò, cùm Bertrando de Montefauentio S. Mariæ in Aquiro, Diacono Cardinali, Legatus ad Philippum Valesium Galliæ, & Eduardum III. Angliæ Reges, qui bellum inter se summâ animorum contentione gerebant, vt Pontificis nomine suaderet depositis armis, atque odijs, amoris, ac pacis inter se fœdus inire. Vtraque Legatio Petro Cardinali infeliciter cessit: tam altè certantium inter se animis, odia, & belli gerendi studia insederant: Itaque nullo ferè operæ fructu, ad P.P. inglorius redijt.

Panuinius, in Ioanne XXII. Ciaconius. Aubery p. 1. An. 13 7. Vghellus tom. 1. Ital. S. in Episc. Sabin. Felix Contelor. p. 1. sub. Benedicto XII. Claud. Robert. in Gall. Christ. sub Archiep. Ebredun. in Bernardo Deucio. Spondan. An. 1337. n. 6. Villanus lib. XI. Polydor. Virgil. de Reb. Angl. lib. 19.

Foris Legationibus defunctus, ad ornandam do-

Vghellus suprà citatus. Felix Contel. p. in IoanneXXII. Panuinius & in Clemente VI. Ciaconius. Sedente Clemente VI. Impp. Cp. Ioanne Palaeologo, & Ioanne Cantacuseno, in Germania Carolo IV.

mirempublicam animum intendit. Propè Auenionem Odæum, à *S. Praxede* Sacris Virginibus condidit, quod *Hispaniam* vulgò dixerunt, ducto ab Hispano Authore nomine, in quo sepeliri voluit, annis iam grauis, & virtutibus clarus. Finem viuendi fecit anno M. CCC. XLVIII. die XIV. Iulij: quamquàm Panulnius & Ciaconius obijsse existiment anno M. CCC. LIX. Verum ne Barrosij nominis memoria obliuione periret, erecto elegantis structuræ Sepulchro, illam quodammodò æternare curauit, inscripto Sepulchrali marmori huiusce-modi Epitaphio.

Aluarus Pelagius Minorita librum de Planctu Ecclesiæ, Theologis & Iurisperitis maximè probatum, Cardinali Gomesio dicauit: Vvading. de scriptor. Minorit. Aluarus. Anno 1340.

Petrus Gomesius de Barroso, natione Hispanus, è ciuitate Toletana oriundus, ex Patre Ferdinando Petro, milite de Barroso, & vxore eius Mencia Garcia de Sotomaior: qui cùm esset Episcopus Carthaginensis, per S. R. E. Dominum Ioannem P.P. XXII. fuit creatus Cardinalis, ad titulum S. Praxedis. Deinde per S.R. E. Dominum Benedictum XII. PP. fuit factus Episcopus Sabin. De bonis à Deo sibi collatis, pro anima sua, & benefactorum suorum, Ecclesiam istam & Monasterium fundauit: & per Dei gratiam, quoad fabricam compleuit; & ibi suam Sepulturam elegit, per suam Misericordiam, cuius est perficere quod est inceptum. Misit. S. ad Prolianum anno Domini 1345. Iuly in festo S. Praxedis. Hactenus Epitaphium.

Panuinius in Ioanne XXII. Benedicto XII. & Clemente VI. Ciacon in Ioanne XXII. & Clemente VI.

Panuinius, Petrum *Cardinalem tantùm S. Praxedis* appellat; neque meminit de Sabinen. Episcopatu. Ciaconius, semel dicit Episcopum Cardina-

lem Sabinenſ. At cùm eius obitum conijcit in annum M. CCC. XLIX. ſedente Clemente VI. P.P. Max. vel ſui immemor, vel ſibi non conſtans, S. Praxedis *Preſbyterum Cardinalem*, non Epiſcopum Sabinenſ. vocat. Auberyus verò, & Vghellus, & Felix Contelorius, Sabinen. Epiſcopatus meminerunt; cui indubitatam fidem facit inſcriptio Sepulturæ à nobis ſuprà adducta: Accedit Clementis VI. Regeſtum, in quo Priuilegium continetur conceſſum Monaſterio Deiparæ de Denoyo, in Gallia, XXX. Aprilis die, anno M. CCC. XLVIII. cui Petrus Gomes Barroſo, Epiſcopus Sabinenſ. ſubſcribit. Extat aliud Priuilegium ab eodem P.P. & eodem anno conceſſum Sanctimonialibus Franciſcanis Elienſis Diæceſeos, in quo Petri Sabinen. Epiſcopi nomen ſcriptum reperitur.

Auberyus. Vghellus. Contelorius. Regeſt. Clementis VI. Frizon in Gallia Purpur. l. 3. pag. 445.

In hunc ferè ſenſum Panuinius, Ciaconius, Vghellus, Contelorius, & cæteris fuſiùs Auberyus, de ſeniore Cardinali Petro Gomeſio Barroſo ſcripſerunt. Spondanus, Polydorus Virgilius, Villanus nonnulla de eiuſdem Legatione in Galliam & Angliam leui calamo delibarunt.

Quibus exactè exploratis, alium fuiſſe cenſemus Petrum Gomeſium Barroſo, gente Hiſpanum, recentioris memoriæ Cardinalem Preſbyterum S. Praxedis, de quo Sermonem inſtituimus, & Luſitanis adnumeramus, quia Epiſcopum Conimbricenſem, & Vlyſipponenſem egit.

Ciaconius.

Ciaconius in Gregorio XI. Petrum Gomesium Albornotium appellat, patriâ Conchensem, adiecto Albornotiæ gentis Symbolo. Cæterum Auberyus, scriptor admodùm eruditus, Barrosum familiâ, non Albornotium fuisse affirmat, patria, non Conchensem, sed Toletanum, Senioris Cardinalis Barrosi consanguineum. Hanc Auberij sententiam confirmat Ioannes Paulus Martinriso in Historia Conchensi, vbi gentis Albornotiæ Genealogiam longa illustrium virorum serie texit; ne verbo quidem facto de Petro Gomerio Albornotio, quem nobis Cardinalem Ciaconius intrudit; cuius certè Ioannes meminisset, si ad gentem Albornotiam pertineret. Consentiunt scriptores Lusitani, Acunha, Archiepiscopus Vlysippon. Petrus Alurz Nogueira, Canonicus Conimbricensis, & Georgius Cardoso in opere nondum excuso, *de Tiaris Lusitanis*. Plura tamen ab ijs Authoribus, turbato rerum, ac temporum ordine traduntur, quæ nos distincta, ac sincera narratione describemus.

Auberyus parte 1. f. 550.

Vita Gregor. XI. edit. Borg.

Ioan. Paulus Martinriso in Hist. Conchensi.

Acunha parte 2. Hist. Vlysipp. cap. 99. Nogueira in Catalogo M.SS. Episc. Conimbr. Georgius Cardoso.

Petrus Gomesius Barrosus, Regia Toleti vrbe natus est: Natales familiæ nobilitas claros reddidit. Parentum nomina scriptorum incuria in obscuro reliquit. A teneris pueritiæ annis litterarios spiritus hausit, posthabitis militiæ studijs, quæ tum maximè in Castella vigebant, diuturnis Maurorum bellis exercita. Foràs se prodidit illius vis ingenij, cùm prima Grammatices rudimenta,

Auberyus p. 1. pag. 550.

non exiguo cum profectu posuit. Humanioribus postea litteris eruditus, vbi in grauiores disciplinas altiùs intrauit, magnam sui expectationem commouit, & breuî inter æquales, iuris potissimum peritiâ excelluit. Et licet animo esset ab ambitione alieno, oblatum sibi Seguntinæ vrbis in Prouincia Toletana, Episcopatum ad publicam vtilitatem suscepit.

Regnabat ea tempestate in Castella Petrus, Alphonsi XI. filius, cui propter morum sæuitiem, *Crudelis* cognomen inditum fuit: qui vt scelus sceleri adderet, libidinem feritati adiunxit; nec facilè discerneres, vtrâ magis Regiam dignitatem fœdaret. In Mariæ Padilliæ amores effusus odio, & contemptui habere cœpit Blancam coniugem, Petri Ducis Borbonij ex Elisabetha Valesia filiam, formæ quamquam elegantiâ, & morum suauitate præstantem. Petrum, Seguntinum Antistitem, de quo nobis sermo est, in vincula coniecit, nihil Regem deterrente personæ, quam gerebat, dignitate, quoniam illius immanitatem taxare, & Blancæ Reginæ innocentiæ fauere visus erat. Breui tamen interiecto tempore, è custodia liber dimissus, interuentu Gulielmi de Bononia, sedis Apostolicæ in Hispania Legati (Petrus Frizon, Legatum dicit Gulielmum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedim) vitandi periculi causâ, quod optimo cuique, sub tam sæuo Principe in Castella imminebat, in proximam Lusitaniam

Annales Castell. Garibay p. 2. l. 14. c. 31. Spondan. anno 1353. Mariana l. 16. c. 17. Vita Innocentij VI. P.P. Froissard. vol. I. pag. 33. Sammarthani tom. 2. De la Maison de France, lib. 23. pag. 24.

Garibay citatus.

Frizon, pag. 347.

concessit melioris fortunæ spe erectus: & quidem, res è voto successit: fortunatiùs quippe inter externos, quàm inter ciues suos viuere cœpit, idque ex rerum florentium cursu potuit. Ad Conimbricensem primùm Cathedram, Episcopo per id tempus destitutam, promotus fuit; quæ ciuitas est Lusitaniæ pulcherrima, ad Mundam fluuium amænissimo colle sita, cæli temperie, situs venustate, & affluentiâ omnium rerum præstans: Ac ne quid vrbis venustati, & ornamento deesset, Dionysius Rex Lusitaniæ, Academiam in ea instituit, quam posteà Vlysipponem translatam Ioannes III. eidem restituit; & in edito montis vertice erexit, vt vrbi quondam Regiæ coronam imponere videretur, quodque à multis experitur, annuis vectigalibus admodum opulenta Conimbricensis Ecclesia est. Huic Petrus magna cum opinione virtutis quinquennium ferè præfuit: inde ad Vlysipponensem euectus, quam Pontificijs etiam virtutibus illustrauit. Rem prorsùs certam reddit Tabularium Conimbricense, & Vlysipponense. Extant prætereà in huius Ecclesiæ Archiuio Petri Episcopi Vlysippon. litteræ, Auenione datæ anno M. CCC. LXV. & M. CCC. LXVI. ad Alphonsum Piresium, sui Vlysippone Vicarium.

Tabularum Conimbric.

Tabular. Vlysippon.

Augustinus Barbosa, magni nominis Iureconsultus Lusitanus, in Dedicatione Vocabularij Latino-Lusitanici, quod Prudentio Sandoualio, Tudensi in Galletia Præsuli nuncupauit, Petrum

August. Barbosa.

Barrosum dicit Episcopum Seguntinum, Vlysipponensem; & Archiepiscopum Hispalensem, ac Toletanum: Cæterùm in Catalogo Antistitum Toletanorum nullatenùs reperitur Petrus Gomes Barroso. Hispalensem fuisse Archiepiscopum communi scriptores consensu tradunt; & ab Hispalensi Ecclesia ad Cardinalatum assumptum à Gregorio XI. anno à Christo nato M. CCC. LXXI. die Veneris in quatuor temporibus, post Pentecostem. Titulum S. Praxedis accepit, quem Senior olim Cardinalis Barroso habuerat.

Auberyus. Contelorius. Ciaconius. Panuinius.

Anno insequenti M. CCC. LXXII. grauis in Rhodo insula contentio orta est inter linguæ Italicæ, & Gallicæ Prouinciæ Equites. Illi enim ad suæ Nationis Linguam pertinere dicebant Prioratus Capuæ, & Barletæ, cùm S. Stephani, Monopolis, Venusiæ, & S. Euphemiæ commendis. Isti contra, omni ope contendere, ac niti, idoneisque rationibus probare, suæ linguæ, æ iuris esse. Diuisis animorum studijs in duas factiones, tota Religio abierat; vtraque pars suos fautores habebat: serpebatque per linguas discordia, & maiora indies incrementa capiebat, quæ nonnisi multò effuso sanguine, militari more extingui, & componi posse videbatur. Igitur Gregorius PP. rei conscius, discordiæ tollendæ causâ, eò misit Petrum Cardinalem Hispanum, & Petrum Cursinum, Cardinalem Florentinum, Sedis Apostolicæ Legatos; Rhodum appulsi causam diligen-

Auberyus. Iacobus Bosius in Hist. Hierosol. p. 2. l. 3. An. 1373. Ioan. Baudoin, in Histor. Ordin. Hierosol. aucta per Fr. A. de Naberat. pag. 64.

ter, ac seuerè examinarunt; & latâ sententiâ, controuersias magna vtriusque partis approbatione diremerunt: ijs conditionibus pax firmata, & in publicas tabulas relata, quò posteris de rei veritate constaret. *Commendæ S. Stephani, Estonibiæ, Alifæ, Venusij, & Monopolis, linguæ Prouincialis sint. Prioratus verò Capuæ, & Barletæ, cum Neapolis, & S. Euphemiæ commendis, Italicæ liguæ cedant.* Agebat perid tempus Magnum Religionis Magistrum Raymundus Berengerius, Gallus. In hunc ferè modum Barrosi & Cursini consilio, & auctoritate excitatæ inter Rhodios Equites contentiones compositæ, & publica Religioni tranquillitas restituta. Hac Legatione ex animi sententia confecta, Auenionem, in qua tum vrbe Romani Pontifices morabantur, Petrus redijt: ibique tertio ab inito Cardinalatu anno, morbo extinctus est, die 11. Iulij, anno M.CCC. LXXIV. Sedente Gregorio XI. Imperante in Oriente Ioanne Palæologo, V. in Occidente, Carolo IV. Rege Lusitaniæ Ferdinando I. Castellæ, Henrico II.

Nouembri mense anno 1373.

Raymundo Bereng. Ordinis Mag.

Sacrarum Virginum Parthenonem, qui à S. Praxede nomen duxit, Auenione non posuit Petrus Cardinalis, de quo agimus: Alterius Barrosi Senioris Cardinalis opus esse certius est, quàm vt probatione indigeat: quamuis Acunha in alia à nobis sententia sit, nulla certè ratione nixus, vt temporum supputationem ineunti, & Sepulturæ Epitaphium, quòd suprà retulimus, expendenti,

facilè

facilè constabit. Paulo Espinosæ, Authori Hispano nullam fidem habemus, qui teste Acunha, obitum Cardinalis Carrosi conijcit in annum M. CCC. LXXXIX. Decessisse liquet anno, ac die à nobis assignato.

Paulus Espinosa in Archiep. Hispalens.

Quæ hactenus diximus *de Cardinalibus Barrosis*, Auberyo maximè, scriptori Gallo, accepta referimus: Ab Hispanis magis accuratam rerum cognitionem assequi per tempus non licuit homini Lusitano; interim scriptorum censuram Lectorum arbitrio relinquimus.

Scripserunt de Cardinali Barroso, Episcopo Conimbricensi & Vlysipponensi, Acunha, confuso licet rerum ordine, in Histor. Eccles. Vlysippon. p. 2. cap. 99. Petrus Alures Noqueira, in Catalogo M. S. S. Episcop. Conimbric. Georgius Cardoso, in opere quod molitur, *de Tiaris Lusitanis*. Augustinus Barbosa, in dedicat. Vocabularij Latino-Lusitan. Paulus Espinosa, de Episcop. Eccl. Hispal. Iozeph. Maria Suares, Episcopus Vasionensis, in suis M. S. S. Auberyus, in Hist. Cardin. p. 1. pag. 550. Stephanus Garibay p. 2. l. 14. c. 31. Mariana lib. 16. à cap. 17. Iacobus Bosius, in Hist. Hierosol. p. 2. lib. 3. anno 1373. Ioannes Baudoin, in Hist. ordinis Hierosolym. pag. 64. Aucta per Antoniũ de Naberat. Spondanus anno 1353. Felix Contelor. p. 1. Elenchi S. R. E. Cardin. sub Gregorio XI.

Argentei Leones quinque, sabulo, & prasino vittati in modum balthei, in conchyliata pannula.

Familia Barrosa in Hispania Symbolum.

VRBANO VI. P.P.

ANNO 1378.

AGAPITVS COLVMNA

EPISCOPVS VLYSIPPONENSIS,

Presbyter Cardinalis titulo S. Priscæ.

Ferdin. Vghellus in Cardin. Columnijs. Philadelphus Mugnoz in Hist. Dom. Columniæ in Elog. Agapiti Card. Arbor. Columnior. Francisc. Cirocco. Auberyus p. 1. An. 1378. pag. 63. Ciacon. in Vrbano VI.

VETVSTA Columniorum gente, opibus & antiquitate inter Romanos clarissima, natus Agapitus: Petrum, vrbis Senatorem, parentem habuit: & generis claritati splendorem virtutis adiunxit: neque facilè discerneres, virtute an nobilitate præstaret? In ipso adolescentiæ flore bellicis artibus operam dedit; & mare transmisit, militarisque fortitudinis specimen præbuit; quod illius sepulturæ Epitaphium ad S. Mariæ Maioris, legentibus repræsentat. Sed ne Agapitum militare illud studium à virtutis, ac doctrinæ cursu abduceret, parentes illum ab armis ad Litterarias exercitationes traduxerunt. Amænioribus primùm litteris; posteà grauioribus, adulta iam ætate studuit. Mox ad sacras dignitates, quamquàm animo erat ab ambitione alienò, promoueri cœpit. Brixiensis in Insubria Episcopus fuit, & breui interiecta temporis morâ, ab Vrbano

Acunha in Histor. Episc. Vlysipp. p. 2. c. 13. Felix Contelor. in Vrbano VI.

V. Legatus in Germaniam missus ad Carolum IV. Deinde in Hispaniam, cum Beltrando Gallo, Antistite Conuenarum, vt latè diffusum belli incendium, quod Lusitaniam & Castellam, accensis inter Reges odiis corripuerat, Apostolica authoritate extingueret. Regnabat per id tempus in Lusitania Ferdinandus, in Castella Henricus II. ingeniis dissimiles, moribus discrepantes; proinde difficillimum videbatur inter vtrumque Regem pacis & amicitiæ leges statuere: cùm quisque putaret causam, quam tuebatur armis, esse alia potiorem, suæque sententiæ pertinaciter adhæreret. Post longas disceptationes, & moras, legatorum tandem precibus & solertia expugnati, placatique assensere fœderi Reges. Alcontinij, ignobili in Algarbijs Portugalliæ oppido, Pax coaluit, iustis conditionibus firmata, pridiè Kalend. Aprilis, anno à partu Virginis MCCCLXI. Mariana Kal. Martijs concordiæ inter vtrumque Regem stabilitæ auctorem fuisse memorat Alphonsum Gusmanium, Gibraleonis Regulum: Exortas prætereà inter Petrum hoc nomine IV. & Henricum II. Aragoniæ & Castellæ Reges controuersias dirimere conatus est, si fidem habemus Zuritæ, diligenti Rerum Aragon. scriptori.

Ferdin. Lopez, in Chron. Ferdin. Reg. Lusit. c. 54.

Mariana de Reb. Hisp. lib. 17. c. 16. A. 1371.

Zurita de Reb. Arag. lib. 10. c. 13.

Confectis ex animi sententia rebus, Gregorius XI. demortui Vrbani V. successor, Agapitum creauit Episcopum Vlysipponensem in Lusitania,

Aubery pag. 603. Philad. Munhoz.

Idem Author.
Acunha p. 2. c. 103.
Panuin. A.1390.
Ciacconius.
Aub. Miraeus, in Notit. Episc. l. 4. c. 13.
Nunes de Leone, in Ioanne I.
Bzouius tom. 15. An. 149 . n. 13.
Acunha, in Catal. Port. cap. 23.

ob egregiam nauatam in operam componendis Regum Hispanorum discordijs. Vghellus *Archiepiscopum* vocat, sed perperàm: Ecclesia quippè Vlyssippon. nonnisi anno M. CCCXↃ per Bonifacium IX. ad Metropolitanam euecta est, decimo post Agapiti mortem, anno, Regnante in Lusitania Ioanne I. quem propter res præclare gestas *Magnum* cognomento appellarunt. In edito Episcopalis dignitatis fastigio constitutus, omni sibi studio enitendum putauit, vt veram perfecti Pontificis imaginem viuis virtutum coloribus exprimeret, quarum exemplo commissæ sibi oues incitatæ, ad Christianæ pietatis normam mores componerent; vitamque rectè instituerent. Idonea in id statuta condidit, quæ adhuc extare dicuntur; vt eas hinc Pastoris exemplo allectas, inde legum seueritate deterritas in officio contineret. Magna cum opinione virtutis Vlysipponensi Ecclesiæ præfuit. Auenionem postea, vetustam ad Rhodanum, Pontificiæ ditionis vrbem, in qua tum Romani Pontifices versabantur, se contulit, vt Gregorio XI. Legationis Hispanicæ rationem redderet; & Regum discordias, prætéritique belli causas præsens exponeret. De mutanda in Italiam sede Pontificia Gregorius tum temporis cogitabat: Re cum paucis communicata; probataque omnium calculis, Catharinæ item Senensis, virginis sanctissimæ precibus & consilijs flexus, itineri se commisit. E Massiliæ portu soluit; & paratis ad

Rhodani ostia triremibus vectus, Genuam primùm, Cornetum posteà appulit: inde sæuiente iam hyeme, terrestri itinere, Romam peruenit idibus Ianuarijs, anno M. CCC. LXXVI. In vrbem triumphantium Imperatorum more inuectus est; nisi quòd ij debellatis Regibus, Prouincijs occupatis, imperioque adiectis, captiuos ante currum agebant catenis vinctos, oneratosque: & Gregorius collecto omnium fere gentium amore, ac festa S. P. Q. R. gratulatione gloriosior Capitolium ascendebat: & suo loco restituta sede Apostolica, superior vniuerso terrarum orbi illuminando, solis instar apparuit. Huius itineris, ac nauigationis socium habuit Agapitum, quem magni faciebat ob eximias prudentiæ & nobilitatis dotes. *Acunha in Epis. Vlyssip. cap. 103. n. 2.*

Non diu stetit recentis concordia fœderis inter Lusitaniæ & Castellæ Reges Agapiti auctoritate stabilita. Ad veteres confestim dissentiones redierunt, & bellum maioribus viribus repararunt: quorum fama Romam perlata, Gregorius Pontificij muneris esse duxit, excitatas inter hos Principes discordias componere, diffidentesque ad pacem reuocare. Guidonem igitur Montfortium Regiæ stirpis Cardinalem Gallum, Episcopum Portuensem, in Hispaniam Legatum destinauit: eique in mandatis dedit, vt ad publicam concordiam Reges induceret, & pacem ipsam amabilem moderatione redderet: itaut ex ipsius Legati ha- *Idem scriptor. n. 3.*

bitu, vultuque ad modestiam composito, discordes inter se Reges discerent pacis leges; quod re ipsa Montfortius præstitit. Perfecit quippe tum vitæ integritate, tum pondere rationum, vt ambo sublatis contentionibus, & depositis armis, Scalabi conuenirent (nobile id oppidum est, & opulentum ad Tagum fluuium in Lusitania, inter Hispaniæ Conuentus olim à Romanis numeratum) ibi habita de publica Pace Comitia, & ictum inter Reges fœdus: atque vt firmius illud maneret, mutua connubiorum vincula addita: Beatricem Ferdinandi Sororem, vxorem accepit Sancius, Dux Albuquercij, Henrici Frater, & Alphonsi XI. Regis Castellæ filius: Elisabetha verò Ferdinandi filia, non tamen ex legitimis nuptijs, Alphonso Legionis Comiti, & Noroniæ in Asturijs Dynastæ, notho Henrici filio nupsit. In hunc modum belli tempestas sedata est, & summâ posteà rerum tranquillitas consecuta.

Annales Lusitan. in Ferdinando Reg. Mariana de Reb. Hisp. lib. 17. c. 17. n. 40.

Guidonem Montfortium, Legatum in Hispaniam iuisse scripsimus, Panuinij, Ciaconij, & Acunhæ authoritate nixi: Cæterum Auberyus, Theodorus Niem, Mariana, Ioannes Frizon, & quod caput est, Chronicon Ferdinandi Regis Lusitaniæ, Legatum dicunt Guidonem de Bononia, alium à Cardinali Montfortio. Id confirmant Sammarthani Fratres in Gallia Christiana; vbi Guidonem Montfortium numerant inter Episcopos Briocenses: & ne verbo quidem de Cardi-

Panuinius, in Vrbano VI. Ciaconius. Acunha c. 103. n. 3. Auberyus p. 1. pag. 457. Niem sub Innocentio VI. Mariana l. 7. c. 17. Ioan. Frizon l. 3. f. 39. Chron. Ferdinandi R. Sammarth. Fratres in Gall. Christ. t. 2. sub Episc. Brioc. pag. 434.

nalatu, aut Legatione Hiſpanica meminerunt. Guidonem igitur de Bononia, rebus meliùs exploratis, Legationem Hiſpanicam obijſſe arbitramur, filium Roberti magni, hoc nomine III. Comitis Bononiæ & Atuerniæ, & Blancæ, Roberti Claromontani Comitis poſtremogeniti S. Ludouici Regis Galliæ, filiæ. Titulo primùm S. Cæciliæ à Clemente VI. decoratum; Epiſcopum poſtea Portuenſem & S. Rufinæ. Panuinius & Ciaconius cognomine *Bononiæ* decepti ſunt: exiſtimarunt quippe nomen eſſe Bononiæ vrbis Morinorum, ad Oceanum Britannicum, in Picardia ſitæ, cuius Epiſcopum gerebat Guido: cùm tamen ſit Bononiæ gentis cognomen; à Comitatu deſumptum: conſtat quippe nonniſi poſt deletam funditùs Teroanam, primariam Morinorum vrbem, à Carolo V. poſtridie Kalendas Iunias, anno M. D. LIII. Bononiam, mutata in eam Cathedra, dignitate Epiſcopali inſignitam fuiſſe, ſedente tum Antonio Crequio Præſule meritiſſimo, vt notauit Frizon, in Gallia purpurata, & Sammarthani Fratres, in Gallia Chriſtiana; & Aubertus Miræus, in notitia Epiſcopatuum; & Spondanus in Annal.

Felix Contelor. p. 1. Elenchi, ſub Clemente VI. obijt anno 1373. die Nouembr. 15.

Panuinius. Ciaconius.

Tabularium Eccl. Bonon.

Spondanus in Annal. tom. 2. anno 1553. n. 2.

Frizon in Gallia P. lib. 3. pag. 339. Sammarthani tom. 2. in Epiſc. Bononienſ. Miraeus Aubert. verbo, Bononia.

Dum ageret Agapitus Epiſcopum Vlyſipponenſem, Ferdinandus Rex Luſitaniæ, impellente Ioanne Anez de Almada, viro clariſſimo, & regij cenſus præfecto, Vlyſipponem, vrbem ampliſſimam muris cingere aggreſſus eſt, ingenti

Chron. Ferdin. R. f. 238. Acunha c. 103. n. 4. Eduard. Nunez de Leone in Ferdinando R. pag. 238.

ausu, ac felicitate. Turres idoneis in locis ad iustam altitudinem erexit; portas euntium, ac venientium commoditati, & commercio aperuit; ductis per longissimum circuitum muris, & pinnis ad veteris architecturæ normam coronatis: cœpto incerdibili laborantium alacritate, & contentiore opere, ac intrà biennium absoluto: quod externis gentibus admirationem mouit; & vrbi pulchritudinem adiecit; & contra hostium oppugnationes munitiorem reddidit. Tum certò constitit, Nil mortalibus arduum esse: & per oppositas difficultates contendendo, eluctandóque pertinaci labore, tandem confici, quæ multorum expeditionem superabant.

Platina. Panuinius. Ciaconius.

Anno Pontificatus septimo, Gregorius XI. ex hac vitâ migrauit, & rebus multùm diúque agitatis, Pontifex demùm creatus est Vrbanus hoc nomine VI. Is quia Agapiti prudentiam, ac doctrinam cum nobilitate coniunctam perspectam habebat, in Collegium Cardinalium cooptauit Romæ, in Basilica S. Mariæ Transtyberim, die XVIII. Septembris, anno M.CCCLXXVIII.

Panuinius in Vrbano VI.

Aubery parte 1. pag. 603.

Vghellus de Card. Column.

Presbyterum Cardinalem, titulo S. Priscæ instituit. Eodem anno, ac die Diaconus Cardinalem S. Eustachij creauit, Stephanus Columna, Germanus fratres Agapiti; titulis ad Columniæ gentis decus, & ornamentum vrbis patriæ duplicatis. Decurrente tempore, relicto S. Priscæ titulo S. Mariæ in Via Latâ, optauit; Authoribus Cia-

Ciaconius.

conio

conio; & Philadelpho Mugnozio; Alij certè ſcriptores de Titulo tantùm S. Priſcæ meminerunt. In errorem lapſus eſt Ciaconius, qui Agapiti Cardinalatum reiicit in annum MCCCLXXXVIII. Acunha nobiſcum ſentit in anno creationis, at diſſentit in menſe: Octobris XVIII. purpurâ donatum ſcribit: Verumtamen Septembris XVIII. id contigiſſe compertum habemus. Panuinius & Ciaconius Agapitum vocant Epiſcopum Vlyſipponenſem, cum fuit ad Cardinalatum promotus. Cæterùm ex Diplomate Pontificio, quo Vrbanus inſtituit Vlyſipponis Antiſtitem Ioannem Thomarium, apertè conſtat ab Agapito iam demiſſam huius Eccleſiæ curam, & Thomario demandatam, vt ſolidè probat Acunha in Hiſt. Antiſtitum Vlyſipponenſium.

Mugnozius. In Hiſt. domus Columnia.

Felix Contelorius parte 1. Elench. S. R. E. Card. in Vrbano VI.

Acunha c. 103. n. 5.

Inita Cardinalis dignitate, Legatus Flaminiæ deſignatus, omnes animi vires intendit, vt ſolutam temporum nequitiâ ſacrorum hominum diſciplinam, corruptoſque laïcorum mores, ad ſanctioris vitæ ſtudia reuocaret. Mixtam cùm ſeueritate clementiam præ ſe ferebat: neque humanitas de authoritate, neque ſeueritas de humanitate quicquam detrahebat. In Hetruria item, & Gallia Ciſalpina legatus, præſtitis in vtráque prouincia iuſtitiæ ac religionis documentis enituit, & conceptam iamdudùm de illius virtutibus opinionem confirmauit.

Vghellus in Card. Colum. Auberyus pag. 63. Ciaconius in Vrbano VI.

Graue ac periculoſum eo tempore bellum vi-

Q

Petr. Iustin. in Hist. Ven lib. 6. Sabellic. lib. 2. Dec. 5. & 6. Blondus lib. 2. Dec. 1. Foliet. lib. 8. Nebiens. in Hist. Gen. lib. 4. Spondan. an. 1379. num. 4. Mugnoz. in Agapito.

gebat Venetos inter & Genuenses, quod ingenti armorum apparatu, & pari animorum ardore, variâ vtrimque fortunâ gerebatur. Italiam ferè totam distraxerat in partes, itaut vix vnus Pontifex medius staret; & in neutram omnino Rempubl. studia, atque arma inclinaret. Genuensibus fauebat Ludouicus Rex Hungariæ, Franciscus Corrarius, Patauij Regulus, Austriæ Dux, & Aquileiæ Patriarcha. A Venetis stabat Perinus Lusignanus, Rex Cypri, & Barnabas Mediolanensis Princeps; alijque minoris potentiæ, ac nominis Dynastæ. Biennium, Vrbani mandato, Agapitus Legatus in procuranda inter vtramque gentem concordia, inani prorsus labore consumpsit: indè & grauem animo dolorem hausit, cùm susceptæ legationis prouinciam, & omnes industriæ neruos in eam rem intentos, in irritum cecidisse videret. In vrbem reuersus,

Auberyus citat.

Romaniæ, Pontificiæ ditionis Prouinciæ, cum Nicolao Cardinali Caraccioli Vicarius Generalis ab Vrbano præpositus est. Quo munere ritè perfunctus, Romæ tandem obiit anno MCCCLXXX. die XI. Octobris, Authore Panuinio & Ciaconio: Auberyus, diem IX. assignat: Acunha III. Mugnozius II. tanta est inter scriptores in re tenui discordia. Vrbano VI. P. P. Max. Impp. Ioanne Paleologo c. p. 1. Venceslas Occ. Ferdinando Rege Lusitan. Abbas Paulus de Angelis, in libro, quem scripsit de Liberiana Basilica, ex ve-

Paulus de Angelis. De Basil. Liber. l. 9. c. 2.

tusto M. S.S. quod in illius tabulario asseruatur, refert, probatque Agapitum decessisse anno M. CCCLXXIX. die Decembris IX. Verba M.S.S. Codicis sunt. *Agapitus Columna, Cardinalis S. Priscæ ab Vrbano P.P. VI. creatus, iacet in terra, sub lapide marmoreo, ad Imaginem Gloriosæ Virginis, qui obijt anno M. CCC. LXXIX. die IX. Decembris.* In hac igitur Basilica à Liberio P.P. dicata, alio nomine S. Mariæ Maioris, quia reliquis Deiparæ Basilicis dignitate, & magnificentia præstat, conditus est humili Sepulchro, inciso Sepulchrali marmori Columniæ gentis Stemmate. *Corona erectæ columnæ imposita*; huiusmodi carminibus inscriptis admodum truncatis, neque integrum orationis sensum, neque iustam metri harmoniam reddentibus, in quibus Agapiti natales, dignitas, & præclarè gesta vtcumque referuntur.

Tabular. S. Mariæ Maioris.

Gentis Columniæ Stemma.

tenui requiescit Agapitus vrna
egregium decor altus Auorum,
ætatis apex, specieque verendum
Cardineum nactus honorem
per aditus, variosque recursus;
Lustrauit & æquora miles;
& fluitantem iura regentem;
æternas rapuerunt fata sub vmbras.

Scripserunt de Cardinali Agapito, Platina in Vrbano VI. Blondus dec. 2. l. 20. anno 1329. Zurita de rebus Arag. l. 10. c. 13. Arbor Columniorum. Scipio Ammiratus, in Hist. Florent. l. 4 Petrus Mexia

in Venceslao Imper. Auberyus p. 1. Hist. Gener. Cardin. pag. 603. Vghellus, de Cardin. Columnijs. Panuinius & Ciaconius, in Vrbano VI. Acunha, in Hist. Episc. Vlysipp. p. 2. c. 103. Franciscus Cirocco Tarragnota p. 2. lib. 17. Iustinianus, in Annal. Genuens. Philadelphus Mugnozius, in Histor. Domus Columniæ. Paulus de Angelis, de Basilica Liberiana lib. 9. c. 2. pag. 162. Felix Contelorius in Vrbano VI. p. 1. Elenchi S. R. E. Card. Hyppolt. Marraccius in Purpura Mariana. Cæteris fusius & luculentius Acunha, in Episcopis Vlysipponensibus, Agapiti vitam materna lingua descripsit.

Tessera Gentis Column.

Argentea Columna, cum basi, capitulo, & imposito ei Diademate aurei metalli, in pannula muricata.

MARTINVS

EPISCOPVS VLYSIPPONENSIS, ANTICARDINALIS.

ROBERTO GEBENNENSI dicto.

CLEMENTE VII.

ANNO 1383.

ET si à bellorum motibus, & dissidentium inter se Principum contentionibus referendis de industria abstineamus: occasione tamen temporum, in quæ nonnulli Cardinalium inciderunt, honesta quadam necessitate cogimur leui saltem calamo delibare quæ Historiæ lucem afferant, vt exactam rerum seriem clariùs lectoribus repræsentent. Martini Cardinalis Acta tam sunt turbis Lusitanicis inuoluta, vt minimè possint idonea narratione disiungi; sed necessariò committenda, iungendaque sint, vt de rerum veritate apertiùs constet.

Panuinius & in Clemente VII. Ciaconius. Acunha in Chron. Ioannis I. Reg. Lusit. cap. 7. Seuerinus §. 5. Sousa, in Epit. p. 3. c. 11. Mariana lib. 34. c. 40. Garibay lib. 18. Aubery in Breu. Anticar. Spondanus An. 1383. n. 5.

Panuinius & Ciaconius Martinum; patriâ, Lusitanum fuisse narrant: Acunha, Seuerinus de Faria, Emmanuel de Faria, Sousa, scriptores Lusitani, Mariana & Garibay, Hispani, quibus accedunt Auberyus & Spondanus, Galli, in Càmora Veteris Castellæ vrbe, honestis parentibus

natum memorant; ijs plenam fidem adhibemus. Syluensis primùm Antistes fuit, quæ olim in Algarbijs Portugalliæ primaria ciuitas erat, atque Aluaro Pelagio, qui *de Planctu Ecclesiæ* scripsit, & Hieronymo Osorio, elegantissimo Historico, Lusitanis Episcopis gloriatur. Decurrente tempore, sedes Episcopalis in Farum, vrbem florentissimam, translata, in qua Episcopi, amplis vectigalibus opulenti, & magnifico splendore Principibus pares, Cathedram Pontificiam posuerunt.

Aluarus Pelagius.
Hieron. Osorius.

Martino Episcopum Syluensem agente, scissa in partes Ecclesia fœdo ac periculoso schismate laborabat. In duas quippe factiones diuisus Catholicus orbis abierat. Gallia, Hispania Sicilia, Scotia, Cyprus & nonnulli Principes Christiani Roberto Gebennensi, qui Summum Pontificatum inuaserat, & Clemens VII. dicebatur, adhærebant; Italia verò, & maiori ex parte Germania, Anglia, & Hungaria, in Vrbani VI. iusti Pontificis fide & obedientia se continebant: Nec deerant qui modò ad hunc, ad illum modò Pontificem magnis dissensionum fluctibus agitati voluerentur. In tanta studiorum ac voluntatum varietate difficile erat, vtri parendum esset, discernere.

Acunha in Hist. Episc. Vlysippon. p. 2. c. 105.

Martinus ab Ecclesia Syluensi ad Vlysipponensem fuerat paulò antè euectus à Clemente VII. ac proindè accepti beneficij memor, eiusdem partes pertinaci studio tuebatur, atque omni ope ni-

tebatur, vt Ferdinando Lusitaniæ Regi suaderet, vt deserto, cui hactenus studuerat, Vrbano, Clementem, cum reliqua Hispania sequeretur; eumque tamquam legitimum Christi in terris Vicarium, delato obedientiæ obsequio, recognosceret. Erat Ferdinandus excelsa indole Princeps, quam egregia corporis forma commendabat: cæterum ingenio facili, & aperto, mutationibusque obnoxio; quod in priuatæ fortunæ homine, vitium leue esse videtur; at in Principe, cuius facta, dictaque subditi velut exemplar intuentur, ac imitantur, graue admodùm censeri debet, cùm magnas in rempubl. calamitates inuehere consueuerit.

Annal. Lusitan.

Lusitani scriptores & Castellani.

Martino igitur suadente, ab Vrbano ad Clementem, mutato consilio, desciuit; & honestissimam ad eum, religionis causâ, Legationem instituit. Duabus maioribus triremibus vectus idem Martinus, Episcopus Vlysipponensis, regio ad elegantiam cultu ornatis, & bellico ad pugnandum apparatu instructis, Auenionem nauigauit, in qua tum vrbe Clemens Antipapa versabatur: in grauissimo Patrum conuentu ad id coacto Lusitaniæ Regem Ferdinandum in eiusdem fide & obsequio esse, ac in posterum fore, eleganti oratione exposuit. Breui tamen, detecto schismatis errore, ac inspecta veritatis luce, ab Vrbanum legitimum Pontificem Lusitani redierunt, vt fusiùs narrant Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores.

Contelorius, in Clemente VII. Aubery, in Anticard.

Contelorius, & Auberyus de alia Legatione meminerunt, quam Martinus obijt, Ferdinandi nomine, ad Carolum Galliæ Regem, anno M. CCC. LXXX. nec diſtinguunt duos Carolos, qui eodem anno, vnus poſt alium regnarunt in Gallia, Carolus hoc nomine V. *ſapiens* dictus; qui deceſſit menſe Septembri; & Carolus VI. eius filius, cognomento *Beneamatus*, qui eodem anno, Puer duodenis Regnum auſpicatus eſt; nec nos quicquam certi, in re non magni momenti, definire poſſumus: Summa Legationis erat, vt de tollendo ſchiſmate, quod iamdudum Catholicam turbabat Eccleſiam, seriò cogitaret, in idque totis viribus incumberet, vt factis *Chriſtianiſſimi* cognomen reſponderet.

Annales Galliæ, & ſcriptores.

Confectis Legationibus, clariſſimis in Rempubl. meritis præſtans, recentique fama rerum Auenione feliciter geſtarum clarus, Martinus Vlyſipponem reuerſus, apud Ferdinandum Regem ſummum ſibi locum authoritatis & gratiæ parauit; nec idcirco perfecti Pontificis munia obire prætermiſit: intentâ primùm animi curâ ad Eccleſiaſticam diſciplinam tuendam, totum ſe contulit: mox commiſſas ſibi oues egregijs vitæ exemplis, & idoneis frequenter concionibus ad pietatis ſtudium incitare, plures in tam ampla vrbe paræcias inſtituere; eaſdem ad certum numerum reducere, probos ijs Rectores præficere, qui procurandæ fidelium ſaluti ſedulò incumberent;

rent; quò, Deo fauente, constaret egregius animarum fructus; nullum denique optimi Antistitis officium non adimplere.

Venerat per id tempus Ioannes I. Rex Castellæ Badajocium, vrbem in regni illius confiniis ad Anam fluuium sitam, Elbis in altera ripâ conditæ, obiectam, quam Recentioris æui Scriptores Castellani *Pacem Iuliam* speciosо, sed alieno nomine appellant; vt Beatricis Ferdinandi filiæ nuptijs potiretur, quæ hæreditario iure Sceptrum Lusitaniæ ad se trahebat. Comitati sunt Beatricem regio ad Ioannem euntem apparatu, Martinus Vlysipponensis, Ioannes Conimbricensis, & Alphonsus Egitaniensis Episcopi. Nuptijs ingenti vtriusque Regni gratulatione, ac celebritate peractis, magnis honoribus à Regibus affecti, Badajocio recesserunt.

Acunha in Episc. Vlysip.

Annales Lusitania, in Ferdinando Reg.

Vlysippone breui interiecto tempore Rex Ferdinandus obijt mense Octobri, anno M. CCC. LXXXIII. Illius mortem magni per Lusitaniam motus sunt consecuti. Ioannes quippè supremus Auiziensium Equitum Magister, Ferdinandi ex thoro illegitimo frater, qui paulò post Rex Lusitaniæ salutatus, rebus præclarè gestis, & generosâ filiorum sobole auctus, felixque, amplam suarum laudum materiem Scriptoribus ministrauit, Ioannem Fernandium Andeirram Callecum, Ourensem Comitem, graues ob causas, quas silentio inuoluimus, vt dubio Reginæ Eleo-

Annales Lusitan. in Ioanne I. Reg.

Acunha in Chron. Ioannis 1. c. 5. & 6.

noræ, Ferdinandi coniugis honori consulamus, media Luce, in Aula Regia interfecit. Vulgatâ ex composito per vrbem famâ, Ioannem Auizij Magistrum, Reginæ mandato, in eiusdem Palatio interemptum, totam ferè ad arma exciuit: extemplo cuncta misceri; plateæ armatis compleri; currentium vociferationibus fora personare; ad tympanorum pulsum vndique milites confluere, raptis obuijs quibusque armis, telis, ferro, igne, in Regiam conuolare, portas effringere & vi irrumpere: tanto iracundiæ impetu ruendi in Reginæ exitium cuncti mortales ferebantur, qui Ioannem vnicè diligebant ob regiam indolem, & eximias animi, ac corporis dotes. Hic Reginæ periculo animaduerso, ad sublimem Palatij fenestram sese applicuit, atque è superiori loco in subiecti populi conspectum se dedit: cuius aspectu sedatâ recreatâque turbâ, posito repentè furore, totus ille tumultus ad Regiam conquieuit. In aliam tamen partem seditionis tempestas versa, ad principem vrbis Basilicam confluente turba, & inconditis clamoribus suadente, vt campanarum sono ad Arma signum daretur. Substitit Martinus Episcopus, qui in editam campanarum turrim, audito populi tumultu, cum paucis se receperat, & pulsu prudenter abstinere iussit, ne edito ad Arma sono, immensa furentium multitudo ad ciendas grauiores turbas, elatis ferociâ animis, incitare-

Idem A. in Histor. Episcop. Vlysipp. c. vlti- mo parte 1.

Annales Lusitan.

tur, & clades cladi ſuccederet: quam populus moram in deteriorem partem interpretatus, & Caſtellanum, Caſtellanum, ingeminans ab præalta turris feneſtra in forum verſa, cum ſocijs præcipitem dedit, nihil populum terrente perſonæ, quam gerebat, dignitate; die VI. Decembris, anno M. CCC. LXXXIII. Vrbano VI. PP. Max. Vvenceſlao Germaniæ Imperatore, Ioanne V. Conſtantinop. In mortuum ſæuitum adhuc, tracto per frequentiores vrbis plateas, miſerando ſpectaculo, cadauere, ac petulantis turbæ furori, ludibrioque publico in foro expoſito: quo certè barbaræ immanitatis exemplo ante oculos propoſito, comperimus, nullum furenti populo monſtrum ſæuius, teſte Demoſthene, cum exuta omni humanitatis ſpecie, & extincta rationis luce, ferarum quodammodo naturam induit, & cæco impetu fertur.

Seuer. de Faria §. 5. Acunha in Ioan. 1. c. 7. & in Hiſt. Vlyſipp. p. 2. c. 106. Spondan. anno 1383. n. 5. Faria de Souſa in Ioanne I. Rege Luſitan.

Demoſthenes.

Eodem, quo Martinus Vlyſippone occiſus eſt, anno, à Clemente VII. Anticardinalis creatus Auenione, Decembris die XXIII. in quarta creatione: quam Ciaconius ineptè reijcit in annum M. CCC. LXXXIX. niſi malimus errorem Typographo imputare. Infeliciſſimæ videlicet mortis nuntius Auenionem, longo terrarum ſpatio ab Vlyſippone diſcretam, tempeſtiuè peruenire non potuit, vt ab eo Cardinali creando Pſeudopontifex abſtineret: & cùm Cardinalitiæ dignitatis inſignia in Luſitaniam peruenere, iam Martinus in

Contelor. parte 1. Elenchi ſub Clemente VIII.

Ciacon. in Clemente Antipapa.

Acunha parte 2. cap. 107.

viuis esse desierat. Quibus accuratè perspectis, manifestè conuincuntur erroris Panuinius & Ciaconius, qui Martinum in Benedicti XIII. obedientia decessisse affirmant: vndecim quippè annis Martini mors Benedicti creationem præcessit, vt annorum numerum ineunti facilè patebit: Obijt Martinus, vt suprà meminimus, VI. Decembris, anno MCCCLXXXIII. Electus est Benedictus XXVIII. Septembris, anno M. CCC. LXXXIV. quem Titulum Cardinalatus habuerit, in incerto est: ne Felix quidem Contelorius, diligentissimus Scriptor, illum expressit, neque alij Authores de hac re quicquam tradiderunt.

Panuinius & sub Clemente VII. Ciaconius & sub Benedicto XIII.

Auberyus Martinum à Clemente VII. creatum Cardinalem contrà communem Scriptorum sententiam negauit. Legitimum S. R. E. Cardinalem fuisse inficiamur, vt potè qui ab illegitimo Pontifice, & quem Ecclesia Catholica non admittit, electus est. Per id tamen tempus res in obscuro erant, nec de veritatis luce constabat: multique præstantes sanctitate, ac doctrinâ viri delatâ sibi à Clemente VII. Cardinalatûs dignitatem sincerâ animi fide receperunt: Inter quos præcipuè enituit Petrus Lucemburgicus, Frater Valerani Comitis à S. Paulo, Episcopus Metensis in Lotharingia, creatus à Clemente Diaconus Cardinal. S. Georgij in Velabro, ceu velo aureo, anno 1386. procedente die in Beatorũ fastos relatus per Clementem VII. PP. Max. anno M. D. XXVII. die

Auberyus in Breuiario Anticardinal.

Contelorius, in Clemente VII. Ciaconius. Donius, in Florib. Cardin. tom. 1. anno 1386.

Petr. Frizon, in Gall. Purp. lib. 4. pag. 491.

Aprilis IX. Cæterum in Pontificio diplomate, quo cælestes illi decernit honores, Cardinalem non appellat, ne Robertum Gebennensem legitimum Pontificem habere videatur. S. Antoninus, diuisum eo tempore in duas factiones orbem Catholicum describit; Altera Vrbano VI. Clementi VII. studebat altera; ab vtraque stabant viri pietate & sapientia eximij. Clementi accessit Martinus Episcopus, authoritate, & Legationibus clarus; cuius propterea nomini schismatis, aut pertinaciæ notam, vti opinor, inurere non debemus, cùm magnam is orbis partem Clementi Antipapæ adhærentem, minùs tamen benè explorata causâ, sequeretur.

Sanderus in Elog Cardin. Locrius. in Hist. Belgic. Aubert. Mir. in Fast. Belg. Sammarth Fr. tom. 2. Gall. Christ. in Episc. Metens. Molanus, in Martyrolog. ad diem 2. Iulij. Claud. Robert. in Ep. Metens. S. Anton. 3. p. tit. 21. c. 2.

Martini meminerunt Anonymus in vita Clementis VII. Andreas du Chesne anno 1383. Aubery in Breuiario Anticardin. Garibay lib. XVIII. Mariana, lib. 18. c. 7. Contelorius, p. 1. Elenchi Cardinal. sub Clemente VII. Spondanus anno 1383. n. 5. Panuinius & Ciaconius in Clemente VII. Acunha in Chron. Ioannis I. Regis Lusitan. cap. 7. & in Histor. Episcopor. Vlysippon. p. 2. c. 5. & 6. Emmanuel Seuerinus de Faria in M. S. S. de Cardinal. Lusitan. §. 5. Emmanuel Faria de Sousa, in Epitom. Hist. Lusitan. p. 3. c. 11. Caramuel, in Philippo demonstr. sub Ioanne I. Rege Lusitan. Annales Lusitan. in eodem Rege.

IOANNE XXIII. P. P.

IOANNES ALPHONSVS DE AZAMBVIA.

ANNO 1411.

ARCHIEPISCOPVS VLISYPPONENSIS.

Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula.

Georg. Cardoso in Agiol. tom. 1. ad xxiij. Ianuarij.

Seuer. de Faria §. 6.

AMÆNO ad Tagum fluuium oppido, *Azambuia* nomine, in lucem venit Ioannes Alphonsus de Azambuia; quem alij scriptores appellant, Ioannem Esteuens. Parentem habuit Alphonsum Esteuens, Regij olim Cimeliarchij Præfectum; virum tum claritate sanguinis, tum bellica virtute prestantem (Grauissimus Author Acunha, Stephani Annes da Cunha filium fuisse existimat) difficillimis Reipubl. temporibus, sæuiente per Hispaniam bello, impigram, constantemque operam nauauit Ioanni, hoc nomine 1. Regi Lusitaniæ. Vt à fonte incipiamus, nonnulla tenui calamo delibanda, quæ ad plenam rerum cognitionem comparandam, maximè faciunt.

Acunha, in Catalogo Episc. Portucal. c. 13.

Annales Lusitan.

Decessit Vlysippone Rex Ferdinandus Octobri mense, anno M. CCC. LXXXIII. Beatrice filia relicta, vnica sceptri hærede, quam paucis antè

annis, iuſtis nuptijs collocauerat Ioanni I. Caſtellæ Regi. Cæterùm Luſitani ſuorum maximè Regum amantes, externi legibus imperioque ſubeſſe nolebant; Ioannem igitur, Ferdinandi ex thoro illegitimo fratrem, magnum Auizienſium Equitum Magiſtrum, florenti ætate, ac fortuna Principem, Regem ſibi delegerunt: quæ res graues bellorum tempeſtates per Luſitaniam & Caſtellam excitauit. In magna ſtudiorum, ac ſententiarum varietate fluctuante Republ. partâ demum ad Alinbarrotam per Luſitanos de Caſtellanis victoriâ, tempeſtas ſedata eſt; & victoriam, non multo interiecto tempore, ſumma rerum tranquillitas conſecuta. Ioannes de Azambuia, ab armorum tractatione auocatus, compoſito ad otium ingenio, in optimarum artium ſtudium liberiùs cœpit incumbere, & non mediocres in litteris progreſſus facere. Illuſtre ei teſtimonium doctrinæ ac prudentiæ reddidit Rex Ioannes, cùm ſibi Conſiliarium adſciuit, vt eo authore & conſiliario nihil præter conſcientiæ leges, iuraue Reipubl. vel ſuſciperet, vel præſtaret.

Pinguia Sacerdotia Eboræ, Conimbricæ, Scalabi, & Monſonij, virtutis causâ, obtinuit: His, quaſi gradibus, ad altiores dignitates aſcendit. Syluenſem inprimis adijt in Algarbijs Epiſcopatum; mox Portucalenſem & Conimbricenſem, in Luſitania. Vlyſipponenſem demum Eccleſiam ingenti hominum approbatione, ſeptennium ad-

Scriptores iam citati.

Panuinius & in Ioanne XXIII. Ciaconius.

Acunha cap. 23. Aubert. Miraeus, notitia episcop. lib. 4. cap. 13. Eduard. Nun. à Leone in Geneal. Reg. Lusit. Bzouius, tom. 15. Annal. Ad An. 1490. n. 23. Faria in Epit. p. 4. c. 8.

ministrauit: quam Bonifacius IX. P.P. Max. ad Metropolitanæ dignitatem euexerat anno M. CCCXC. in quo ab nonnullis Authoribus meritò dissentimus, qui erectionem in alios annos reijciunt. Ad tantarum dignitatum insignia, & multiplices honorum titulos quæsitus, ne vni tantum loco affixus hæreret; sed solis instar, vniuersam circumiret Lusitaniam, quam solidæ virtutis, ac eximiæ doctrinæ radijs illustraret, donec in excelso Cardinalitiæ Maiestatis fastigio, vt externis etiam luceret gentibus, consisteret.

Portucalensem dum ageret Antistitem, principem illius vrbis Basilicam pretiosa suppellectili, & multis è solido argento donarijs instruxit. Archidiaconi dignitatem instituit, vt augustiùs ac decentiùs, eius interuentu, sacris operarentur Episcopi. Multa vetustate collapsa, erexit; Nonnulla situ deformia, non modico sumptu refecit, & nouo splendore vestiuit. Præclara publicæ pietatis opera, ad communem suarum ouium vtilitatem condidit.

Acunha cap. 23.

De ineundo pacis fœdere inter Lusitaniæ & Castellæ Reges, seriò agitauit. Sed grauibus exortis difficultatibus, res intermissa; & in opportunius tempus dilata. Augustissimum deiparæ templum, *ab oliua*, nominatæ, quod Ioannes Rex, causâ religionis, incredibili sumptu struxerat Vimarani, solemni ritu consecrauit. Desponderat idem Rex Beatricem, filiam notham, eximiæ pulchritudinis

Faria in Epit. p. 4. c. 8. Chron. Ioan. 1. c. 23.

chritudinis Virginem, Thomæ Comiti Arundelio, Regij in Anglia ſanguinis Principi; qui deſtinatis in id, miſſiſque Vlyſipponem procuratoribus, Beatricem coniugem recepit, feſtâ vtriuſque Gentis gratulatione, & magnifi co ludorum apparatu. Sacris datæ fidei cæremoniis Ioannes Archiepiſcopus pro dignitate interfuit. Non ſemel ad vrbem pro grauiſſimis Reipubl. negotiis ob maximarum, qua pollebat, rerum experientiam, à Ioanne Rege miſſus eſt: & confectis ex animi ſententiâ rebus, magnam apud omnes prudentiæ exiſtimationem acquiſiuit. Itaque nihil ferè domi, aut foris gerebatur, niſi illo authore, vel adminiſtro.

Faria iam adductus in Epit. parte 3. c. 12. Acunha in Catal. parte 2. cap. 23. Eduard. Nun. à Leone in Ioanne I. Reg. Luſi.

Anno M. CCCCIX. coacto Piſis in Tuſcia Concilio Regius Orator interfuit. Contendebant per id tempus inter ſe de Romano Pontificatu Gregorius XII. & Benedictus XIII. Neuter depoſitis Papatus inſigniis (quod vnum ſupererat remedium) communi rei Chriſtianæ ſaluti conſulere volebat; & moras nectendo ſchiſma in longiùs protrahebatur: tam rapit mortalium mentes fallax imperandi dulcedo, vt priuatas vtilitates audeant ſacris etiam, & publicis rationibus anteponere. Proinde Romanæ Eccleſiæ Patres tam longi ſchiſmatis tædio affecti, & publicæ tranquillitatis ſtudio ducti ad religionem verterunt, dubiis Pontificibus exauthoratis, certum ac legitimum, collatis in vnum ſuffra-

Acta Conſil. Piſani. Binius. Bzonius. Spondanus. S. Antonin. Contelorius. Philippus Labbe S. I. tom. 29. Concil. edit. Reg. Pariſ. f. 194. Blondus. Illeſcas.

gijs, creare. Igitur xxvi. Iunij, anni M. ccccix. Alexandrum V. ſummo animorum conſenſu, Pontificem renuntiarunt. Concilio abſoluto, & compoſitis vtcumque rebus; Ioannes, Hieroſolymam, quod iamdudum habebat in votis, petere conſtituit. Ad portum Ioppes ſecunda nauigatione delatus, loca illa Seruatoris noſtri ſanguine conſecrata, & B. Virginis, totque Sanctorum nobilitata veſtigijs, cæleſti quadam ſpiritus dulcedine perfuſus, veneratus eſt. Diutiùs, ſi per occupationes liceret, in ſacris illis Paleſtinæ ſedibus moraturus, ſed Luſitaniam repetere coactus, vt demandatæ ſibi Eccleſiæ Vlyſipponenſis bono, ſuarumque ouium ſaluti præſens conſuleret. Itaque Vlyſipponem venit, & ad præcipuum vrbis templum habitare cœpit.

Ad inſtaurandam confeſtim Eccleſiaſticam diſciplinam animum adiecit: ipſe reliquis præire exemplo; idonea ſtatuta condere; & cætera optimi Pontificis munia obire: quibus certè remedijs nulla fermè efficaciora ſunt ad ſubditos in officio continendos, eoſque ad ſectandam virtutis viam vehementiùs incitandos.

Intereà Ioannes XXIII. qui defuncto Alexandro V. in Pontificatu ſucceſſerat, anno M. ccccx. & multa, eaque præclara de Ioannis Archiepiſcopi Vlyſipponenſis nobilitate & religione audierat, Vlyſippone eo tempore commorantem, Preſbyterum Cardinalem creauit S. Petri ad vin-

cula, titulo Eudoxiæ VIII. Idus Iunias, anno à Christo nato M. CCCCXI. in I. creatione: vt disertis verbis affirmat Contelorius, qui rem accuratè examinauit, & Ciaconius, cum Panuinio, Auberyo, & Seuerino de Faria. Non ignoro in M.S.S. libello qui asseruatur in Tabulario Ecclesiæ Eborensis in Lusitania, traditum, Cardinalem III. Nonas Iunias electum; à Georgio item Cardoso, diligenti admodùm scriptore, V. Nonas Iulias. Cæterum, quæ diximus, in Bibliothecæ Vaticanæ monumentis habentur. Vt sacræ dignitatis insignia de Pontificis manu susciperet, in vrbem se contulit: Ab eo benigne acceptus, & Cardinalitio pileo ornatus, parem se tanto honori, heroicis virtutibus præstitit.

Seuerin. de Faria. Contelor. p. 1. elenchi S. R. E. Cardinal. Ciaconius. Panuinius. Aubery. Tabular. Eborense. Georgius Cardoso. Biblioth. Vaticana.

Dum versaretur in Italia, bina pietatis & magnificentiæ monumenta erexit: alterum Bononiæ; D. Dominici sacello pretiosis è vario marmore cælaturis eleganter ornato; Romæ alterum, condito Eremitarum D. Hieronymi Cœnobio. Vtrique operi fidem facit incisum Sepulchrali marmori Epitaphium, quod Vlysippone conspicitur in Sacrarum Virginum templo à *Saluatore* nuncupato. Cæterum, de primo non ambigimus. Secundum, non ita certum putamus.

Cardoso.

Epitaphium Sepulchr.

Tria quippè in vrbe S. Hieronymi Cœnobia numerantur. Hæc sunt, S. Alexij, in monte Auentino: S. Onuphrij in Ianiculo: S. S. Vincentij & Anastasij ad radices Quirinalis: cunctis antiquior

Octauius Pancirol. in Thez. Eccles. Roman. religione 3. Eccles. XI. Crescentius, in Præsid. Romano fol. 476. Petrus Martyr. Felinus in Mirabilib. Romæ.

est Ioannes Cardinalis. Primum ſiquidem Lupus de Olmeto, Eremita Hiſpanus, à Martino V. P. P. cum ſuis ſocijs incolendum obtinuit anno M. CCCC. XXV. ijſque propriam & iuſtam regulam ex Hieronymi ſcriptis, & viuendi inſtituto deſumptam, quam ſeruarent, tradidit. Viſitur illius Sepulchrum ad Aram templi maximam edito in loco conſpicuum, idoneo addito Epitaphio.

Pancirola region. 8. tit. de S. Onuphrio.

Spicilegium Eremit. D. Hier. ad An. 1446.

Alexand. Donatus S. I. De vrbe Roma. l. 4. c. 9.

Secundum B. Nicolaus de Furca Palene, obſcuro in Polignis oppido, in lucem editus, condere cœpit anno M. CCCC. XLVI. Eugenius P. P. hoc nomine IV. qui tum Rom. Eccleſiæ præerat, templum erexit, & opibus Eremitas iuuit, vt latiùs ædificarent: mox nonnullis viris primoribus ardor iniectus operis ad exitum perducendi. Enituit inter alios liberalitas Ioannis Dominici Cardinalis de Cupis. Et quoniam Domicilium in montis vertice erectum difficile, arduumque ad id ſubeuntibus erat; Sixtus V. regiam à fronte plateam aperuit anno M. D. LXXXVIII. politis lapidibus, multis poſt annis ſtratam; quà longè facilior, ac commodior ad Cœnobium acceſſus redditus eſt.

Sanctorum Vincentij & Anaſtaſij Cœnobium, à Paulo V. Eremitis D. Hieronymi conceſſum legimus anno M. DCXII. ceſſerant ijs vetuſta, quam habebant in Monte Quirinali, Domo, & Eccleſia *Saluatoris*, à Pio IV. ſibi attributa, vt incepta Palatij Pontificij moles ab eodem Paulo perfi-

ceretur; & ſpatij ſatis eſſet ampliſſimo aperiendo circo, quem abſoluta iam Palatij facies liberiùs ab ea parte reſpiceret anno M. DCXIV. ſacra D. Hieronymi die, iacta ſunt noui Domicilij fundamenta ad Triuij fontem, in eo quo nunc eſt loco: ſed rei numariæ penuriâ parùm proceſſit opus: rude adhuc, & imperfectum hæret, Eccleſia ſolummodò, Iulij Mazarini Cardinalis opera, extructa. In ſupramemoratis Hieronymianorum Eremitarum Cœnobijs nulla reperitur memoria, vel inſcriptio Ioannis de Azambuia, Cardinalis Luſitani, qui multis antequam illa conderentur, annis, Brugis in Flandria obijt; anno videlicet M. CCCCXV. vt diligentiſſimi ſcriptores memoriæ prodiderunt. Quapropter rebus in vrbe diligenter examinatis, & iuſta annorum ſupputatione facta, de Epitaphij Vlyſipponenſis veritate, etſi magnæ ſit authoritatis, dubitare cogimur; nil tamen certò definimus; ſed rem in medio relinquimus.

Contelorius. Panuinius. Auberyus. Acunha. Seuerin. de Faria. Ciaconius.

Monialium prætereà Odæum Ioannes ædificauit Vlyſippone, quod à Saluatore nomen duxit, ob antiquam Chriſti è cruce pendentis Imaginem eo in loco inter horridas Syluas, Regnante Alphonſo I. à nobili Luſitano, dum ferarum venationi vacaret, inuentam; quam inuadentibus Hiſpaniam Saracenis, ne proderetur ab impijs, ſolitudinis ſilentio commiſſam, fama ferebat. Pedes circùm mirabili artificio Apes, in Aræ for-

Georgius Cardoſo. Acunha, in Catal. Seuerin. de Faria.

mam, mellis fauos construxerant. Attonitum primò miraculum venatorem tenuit: mox vrbem totam miraculi fama peruasit; & rei nouitate erectam ad spectaculum exciuit. Ædificata celeriter ædicula, nonnullæ piæ fæminæ loci religione perculsæ, & solitariæ vitæ desiderio allectæ, ibidem sanctissimè viuere, & sua Saluatori obsequia deferre cæperunt, nulla certa lege, nullis iustæ religionis votis obstrictæ. Donec Ioannes Archiepiscopus, amplum, in quod se illæ reciperent, domicilium fabricauit, Sedente Bonifacio IX. Regnante in Lusitania Ioanne I. S. Dominici regulam ijs tradidit, ad quam rationes vitæ dirigerent, moresque componerent. Id fuit Saluatoris Cœnobio initium, quod intra amplissimæ vrbis mirum in modum crescentis, sinum, procedente die, receptum, tanto sub nomine, maiora in dies incrementa cœpit, & redditũum copia, & numero Monialium; & quod caput virtutis est; sanctitatis opinione auctum, floruit. Cœnobij Protectores instituti Esteuenses Dynastæ, Ioanni necessitudine sanguinis coniuncti, qui posteà *Moronia*, dicti sunt: ijs Vicarium, & Capellanos designare, qui pro Fundatoris anima singulis diebus faciant, hæreditario iure competit.

Seuerin. de Faria.

Rebus in vrbe confectis, Ioannes de reditu in Lusitaniam cogitauit. Eò per Belgium iter intendit; emensa iam longi itineris parte, Brugas peruenit; vbi ex ingenti labore morbum contraxit,

adeò periculoſum & grauem, vt de illius vita Medici confeſtim ſpem abiecerint. Ergò acſi vltimum iam diem ſibi inſtare ſentiret, egregiè ſe ad mortem comparauit: Eccleſiæ Sacramenta, magno pietatis ſenſu, ſuſcepit; ſeque ipſum cæleſtibus ad mortem confortans verbis, inter adſtantium lecto preces, lacrimaſque, animam efflauit die 23. Ianuarij, anno M. CCCCXV. Ioanne XXIII. P. P. Orientis Imperatore Emmanuele Paleologo; Occidentis, Sigiſmundo; Rege Luſitaniæ Ioanne I. In die obitus aſſignanda vna tantùm die, à libello Tabularij Eborenſis diſſentimus, in quo XXII. Ianuarij, contigiſſe traditur. In anno; Panuinio, Auberyo, Acunhæ, Seuerino de Faria & Ioannis ad Saluatorem Epitaphio, repugnamus, quippè qui reiiciunt Ioannis mortem in annum MCCCCXIII. nulla tamen idonea ratione nixi.

Auberyus ſub Ioanne XXIII. Contelorius parte 1. Elenchi ex libro obligat. S. Colleg. Cardin. Biblioth. Vatic. Georgius Cardoſo. Tabular. Eborenſe. Panuinius. Auberyus. Acunha. Seuerin. de Faria.

De loco in quo obijt, grauis eſt inter Scriptores contentio. Panuinius & Ciaconius, *apud Villam Bruges in Hiſpania obijſſe*, conceptis verbis affirmant. Acunha, Seuerinus de Faria, Georgius Cardoſo, Chronicon Ioannis I. Brugis, Belgij Villa, fato functum eſſe teſtantur. Neutri ſententiæ acquieſcimus: non Panuinij & Ciaconij, quia Burgos non Bruges; nobilem, ac vetuſtam in Hiſpania Caſtellæ Veteris vrbem eſſe conſtat, quam Ioannes Cardinalis non attigit, dum repeteret Luſitaniam: Non Acunhæ, & aliorum

Scriptorum; quia Brugas Villam dicunt; cum tamen ciuitas sit magnitudine, & celebritate visenda, in qua degente inter viuos Ioanne, & florentibus Belgij rebus, Duces Burgundiæ, & Flandriæ Comites, Aulam penè regiam habuerunt. Si Lusitanorum morem sequamur, qui minora oppida materno sermone Villas appellant; ineptè Scriptores citati Brugas, Vrbem amplissimam, *Villam* dicunt. Si Gallos imitantur, qui maiores etiam vrbes, *Villas* nominare solent; bene Villæ nomen Brugis quadrat. Verumtamen quia materna hi Authores linguâ scripserunt, Brugas, Flandriæ Vrbem, non Villam, dicere debuerunt.

Georgius Cardoso ad diem 3. Ianuarij.

Minùs probo quod Georgius Cardoso in Agiologiol Lectoribus inculcat, Ioannem scilicet per Belgium iter in Lusitaniam de industriâ suscepisse, vt Elisabetham Ioannis I. Lusitaniæ Regis filiam, Philippi, cognomento *Boni* Ducis Burgundiæ & Flandriæ Comitis vxorem inuiseret; Nam quindecim antè annis Ioannes Cardinalis obiit, quàm Philippus vxorem duceret Elisabetham, vt annorum numerum ineunti perspicuum erit. Anno quippe M. CCCCXV. Ioannes decessit, vt suprà diximus. Elisabetha verò, nonnisi exeunte anno MCCCCXXIX. ad Slusæ, Flandriæ vrbis portum vecta, regia classe appulit: & insequenti anno MCCCCXXX. die Ianuarij x. Burgundo iuncta est matrimonio, instituto in eadem nuptia-

Petrus à S. Romualdo tom. 3. Thes. Chron. & Hist. anno 1431.
Ioan. Molan. de Sacra Ducis Brabant. c. 70.
Laraus t. 2. in

nuptiarum celebritate Equeſtri Aurei Velleris Ordine, vt conſtanti Scriptorum omnium confeſſione liquet. Quamquàm Sammarthani Fratres, Regij Galliæ Chronologi, in alia ab iis ſententia ſint: Sentiunt namque Ordinem Velleris erectum anno MCCCCXXIX. die X. Februarij: quæ lentiùs perpendere noſtri inſtituti non eſt.

Delatúm Vlyſipponem Ioannis Cadauer, in Eccleſia Saluatoris abs ſe magnificè condita, eleganti Mauſoleo tumulatum eſt, inſcripto ſepulchrali lapidi Epitaphio, Luſitano, quod adhuc conſpicitur; Sic:

A qui iax o muito honrado Senhor
DOM Ioao Eſteues, Arcebiſpo de Lisboa,
E Cardeal de Roma, Baram ſabedor,
e virtuozo.
Em Bolonha ſolennizou à Sepultura de S. Domingos:
Em Roma fundou o moſteiro de S. Hieronymo:
Em Lisboa eſte, em que ſe mandou ſepultar.

Latinis hunc ferè ſenſum reddit.

Hîc conditus eſt Dominus Ioannes Eſteues,
Archiepiſcopus Vlyſipponenſis, & Cardinalis Romanus: doctrina & pietate illuſtris.
Bononiæ, S. Dominici ſepulturam ornauit.
S. Hieronymi Cœnobium Romæ condidit:
Saluatoris, Vlyſippone poſuit;
In quo ſepeliri voluit.

De Ioanne Cardinali ſcripſerunt Panuinius & Ciaconius in Ioanne XXIII. Auberyus ſub co-

Philippo III. initio anno 1430. Meyerus, in Annalib. Flandr. lib. 16. Henterus lib. 4. ſub Philippo Bono. Spondan. t. 1. an. 143·. n. 1. Bzou. t. 15. an. 1429. n. 102. Famian. Strada S. I. de Bello Belg. l 4 an 1565. Franc. Mennen. in Ordin. Milit. ſub Ordin. Aurei Velleris. Laurent. Cuper. in Belgic. Roſer. tom. 7. c. 109. Alter Mennen. in lib. Ordin. Aurei Velleris, nuncupato. Duci Areſchoti. Bern. de Girard, in Hiſtor. Gener. Franc. t. 1. l. 22. Andreas Sauſſay in Gloria. Andrea Apoſtoli. l. 5. Belleforeſt. l. 5. c. 90. Emman. Sueiro, in Annal. Flandr. patria lingua conſcripti:. Iacob March. in Hiſt. Anton. Sander. Flandr. Lucius Golut. in Memor. Comit. Franc Burgund. Sammarthani


Fratres tom. 1. Dom. Franc. l. 19. folio 891.

dem P.P. ad annum 1411. Felix Contelorius, parte 1. Elenchi Cardin. Annales Lusitani in Ioanne I. Illustrissimus Acunha in Catalogo Episcop. Portucalens. c. 23. & in Addition. ad eundem Catalogum. Antonius de Sousa Macedo, in Excell. Lusitan. cap. 23. excell. 3. Emmanuel de Faria Sousa, in Epitome Hist. Lusit. p. 4. c. 16. Emmanuel Seuerin. de Faria in libel. de Cardin. Lusit. §. 6. Cæteris fusiùs Georgius Cardoso in Agiol. tom. 1. ad diem 23. Ianuarij.

Familiæ, de Azambuia,
Symbolum.

Azambuziarũ ista sunt arma gentilitia.

In aureo campo fasciæ rubræ quatuor transuersim posita: Apex, ferus homo dimidius, qui bifidatam ab ima parte clauam vtraque manu apprehensam, collo insertam ac reiectam in dorsum gestat.



PETRVS DA FONSECA.

Diaconus Cardinalis S. Angeli in Foro Piſcario.

Martino V. P.P. Max: Anno 1418.

FERDINANDI Luſitaniæ Regis deceſſum, nulla maſcula prole relicta, magna Regni turbatio conſecuta eſt. Diſtracta quippè in duas factiones Nobilitas; altera Beatricis, Ferdinandi filiæ, nuptæ Ioanni I. Caſtellæ Regi, partes tuebatur: Ioannis, Auizienſium Equitum Magiſtri, Ferdinandi ex thoro illegitimo fratris, partibus ſtudebat altera. Cæterùm populares mira animorum conſenſione conſpirarant ad iuuandum totis viribus Magiſtrum, atque eiuſdem imperio conſtanti fide parendum: quem paulò poſt in publicis Comitijs Luſitaniæ Regem ſalutarunt. Magnis igitur diſſenſionibus inuoluti, vt ſæpè contingit, firmatis nondum rebus adeunte Rege nouam Sceptri poſſeſſionem, nonnulli è Luſitanis Dynaſtis ſciſſis ſtudijs, ac ſententijs, à Ioanne Magiſtro Principe deſciuere. Inter cæteros Petrus Rodericius da Fonſeca, deducta à maioribus cortinijs ſanguinis claritate conſpicuus, in Caſtellani partes; obſequiumque tranſiuit; non odio actus, aut ambitione allectus: ſed quia vxo-

Annales Luſitan.

Acunha, in Chron. Ioannis I. cap. 27.

Seuer. de Faria. § 7.

rem duxerat Agnetem Botelliam, Reginæ Beatrici sanguinis vinculo coniunctam, tradita dotis loco, Oliuencæ Præfectura, oppidi hac ætate inclyti, Badaiocio Castellæ vrbi ad Anam fluuium obiecti. Igitur ne propinquitatis, aut fidei iura violare videretur, Arcem Beatricis nomine, ac imperio sibi commissam, integra fide, atque omni ope tueri in religionem vertebat. Adeo vt nec ineptè, nec temerè fecisse dicatur, quòd illius Arcis defendendæ Prouinciam susceperit; & pro salute, dignitateque Regis Castellani pugnauerit, cùm ipse ad id honesta quadam necessitate cogeretur.

Felix Contelor. Elench. p. 1. sub Benedicto XIII. Spondan. An. 1408. n. 12. Aubery p. 2. pag. 17.

Ciaconius in Benedicto XIII. Panuinius. Seuerin. de Faria.

In Castellam Rodericius Petrum filium secum abduxit, egregiæ indolis puerum; eumque ab armorum strepitu auocatum, optimarum artium præceptionibus erudiri curauit. adulta iam ætate, rerum, doctrinarumque peritia instructus, & magna probitatis opinione concitata, à Petro de Luna, qui desumpto Benedicti XIII. nomine, Summi Pontificatus dignitatem sibi vsurpauerat, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro Piscario renuntiatus est in v. creatione, Perpiniani facta, Septembri mense, anno M.CCCCVIII. quamquam Ciaconius, Panuinius & Seuerinus de Faria creatum existiment anno M.CCCCIX. in qua accipienda Cardinalatus dignitate nihil prorsus à Fonseca peccatum censeo; Multi quippè per id tempus Reges, & Catholici orbis Academiæ, Benedictum

legatimum P.P. iudicabant: eidemque si minus iustum; certè speciosum obedientiæ obsequium deferebant. Constat B. Colettam, Virginem lectissimam, quæ D. Claræ Moniales ad seuerioris disciplinæ normam reuocauit; Vincentium Ferrerium, aliosque præstantes doctrina & pietate viros, Benedicto studuisse. At quòd rebus tandem exploratis, & sententijs in Concilijs Pisano, & Constantiensi contra eumdem latis, Pontificem se gerere obstinatè perrexit, frustra suadente Sigismundo, pijssimo Imperatore vt ad se rediret, ac deposito Pontificatu, tranquillitati publicæ consuleret; omnium sibi antea addictorum Regum, Principum, & Cardinalium animos offendit, & auertit; donec ad Martinum V. in Concilio Constantiensi P.P. legitimè institutum, vti par erat, deflexerunt.

Petr. Frizon, in Gallia Purpur. l. 4. pag. 491.
Petr. à S. Romualdo tom. 3. Thes. Chronol. & Hist. ad An. 1419.
Concil. Pisanum Anno 1409.
Concil. Constantiens. an. 1414. 1415. 1416. & 1417. & 1418.
Martinus V. electus die 11. Nou. in Festo S. Martini an. 14 7.

Inter alios Anticardinales, Petrus da Fonseca Lusitanus, Petro de Luna relicto, ad Martinum, ceu solem, conuersus, delatam quondam Pseudopontifici obedientiam, prompto in iustum P. P. obsequio redemit. Idem officij genus præstitum, à Ioanne Murillio, Alontaragonis Abbate, Carolo de Vrries, & Alphonso Canillio, Anticardinalibus Hispanis; quos Martinus, Kalend. Augusti anno M. CCCCXVIII. Gebennis peramanter excepit, & confirmato purpuræ honore, nouisque auctos dignitatibus, legitimos in posterum S. R. E. Cardinales haberi voluit. Ioannem, Pres-

Bulla Martini V. data Gebennis, Kal. Augusti an. P. P. 1.
Aubery p. 2. pag. 1 7.

byterum Cardinalem S. Laurentij in Damaſo declarauit; Carolum, S. Georgij ad Velum Aureum; Alphonſum, S. Euſtachij; Petrum da Fonſeca, S. Angeli Diaconos Cardinales inſtituit. Ciaconius & Bzouius hæc acta fuiſſe crediderunt 17. die Martij, anni M. CCCCXIX. qua illi Florentiam venientes à Martino, ibi eo tempore commorante, perbenignè excepti ſunt. Tantorum acceſſione virorum non parùm potentiæ, & authoritatis Martino P.P. accreuit.

Libr. Participation. Sacri Collegij Cardin. Contelor. in Benedicto XIII. Ciaconius in Martino V. Bzou tom. xv. an. 1419. n. 14. Mariana lib. 2. cap. 9. Spondan. An. 1419. n. 3. Platina in Martino V.

Mox ad obeundas grauiſſimarum rerum legationes Cardinalis Fonſeca deſtinatus. Emmanuel Palæologus Orientis Imperator, Florentiam miſerat ſolemni cum Legatione Epiſcopum Theodorum, & Nicolaum Eudæmonem Ioannem, vt Martino ſignificarent, ſe cum vniuerſa Græcorum gente magnis deſiderijs teneri conueniendi cum Latina in ijs religionis articulis, de quibus inter ſe maximè diſſidebant: quod profectum in ſpeciem à religione conſilium, non ſponte, ac ſincerè ſuſceptum, ſed neceſſitate cogente expreſſum, rerum poſteà exitus declarauit. Oratoribus auditis, ac liberaliter habitis, Martinus è re Chriſtiana fore iudicauit Legatum Conſtantinopolim mittere, qui indicto eius nomine Concilio, de ſumma rerum conſultaret, & rectam fidei normam traderet, & Græcam gentem cùm Latina conciliaret. Difficillimam hanc Prouinciam impoſuit Fonſecæ Cardinali, cuius doctrinam, ac

Authores proximè citati. Spondan. An. 142. n. 8. & 1439. n. 3. Contelor. ſub Martino V.

Bulla Martini V. vij. Kalend. Februarij anno P.P. 1. & Bulla dat. iv. id. April. P.P. anno. ij.

prudentiam perspectam habebat: Legatum in id à latere creauit. Præmisit tamen, antequam itineri se committeret, Fr. Antonium Massanum, Minoritarum Generalem, virum industrium ac prudentem, rerum explorandarum causâ; qui diu Constantinopoli moratus, Emmanuele iam defuncto, Ioannis eiusdem filij, litteras ad Martinum detulit, plenas obsequij, & pietatis: in quibus spondebat, se, adueniente Cardinali Legato (quem grauis morbus in Hispania per id tempus detinebat) totis viribus curaturum Græcorum cùm Latinis in religione concordiam. Procedente die, Turcis, graui belli mole Græciam opprimentibus, Martini P.P. votis, ac Legati Fonsecæ desiderijs, aliqua ex parte satisfactum, Sedente iam Eugenio IV. Martini successore, qui Legationis fructum percepit, cuius antea florem Cardinalis Fonseca delibauerat; stabilita in Concilio Florentino Latinos inter & Græcos vnione. Hæc tamen breuî stetit ob innatam Græcis inconstantiam, ad pristinos errores non multò pòst redeuntibus.

Ex Actis Concilij Senensis anno 1423. Spondan. an. 1422. n. 3. tom. 29. Concilior. Reg. Typogr. Parisiens. pag. 7.8. & 734.

Acta Conc. Florent.

Elias Apamiensis vanis rationibus ductus, in Historia Comitum Fuxensium tradit, Legationis hactenus descriptæ munus, onusque demandatum fuisse Petro Fuxi, Cardinali S. Stephani Rotundi, in monte Cœlio: erroreque factum vt loco Petri Fuxensis, Petrus Fonseca scriptus fuerit: Errori pondus additum; quia Fuxensis, *His-*

Elias Apamiensis in Hist. Com. Fuxens. Spondan. 1410. n. 8. Denius in Flor. Cardin. in vita Cardin. Fuxens.

panus item dicebatur à Fuxensi Prouincia, Hispaniæ conterminâ, & quia maternum genus in Reges Aragoniæ referebat. Cæterùm hæc ab Elia excogitata, & nulla solida ratione nixa, stare non possunt. Omnium quippè Scriptorum confessione constat Petrum Fonsecam, Lusitanum, Diaconum Cardinalem S. Angeli in foro Piscario, Legatum in Græciam à Martino P.P. destinatum. Hanc tamen legationem obire non potuisse graui morbo in Hispania impeditum, in quam is priùs contenderat, vt priuatis suorum rationibus, & publico Græcorum bono, implorato, obtentoque ab Hispaniæ Regibus auxilio, consuleret. Compertum etiam est Fuxensem præstituto Minoritam fuisse, patria, cognomine, & titulo Cardinalatus à Fonseca planè diuersum. Idque confirmat eiusdem Epitaphium sepulchrale, quod Auenione apud Minoritas visitur, & singula præclarè gesta commemorat, alto de Legatione Constantinopolitana silentio. Laudis, & gloriæ satis hic hausit ex Legatione Hispanica; in qua longissimum omnium schisma extinxit, quod per duos & quinquaginta annos durauerat, & Rom. Ecclesiam afflixerat: nec vellet alienæ detrahere dignitati, vt plus iusto proprij sibi honoris arrogaret.

Frizon in Gall. Purpur. lib. 4. pag. 473.

Sammarthani Fratres in Gall. Christiana. Ciaconius. Panuinius. Platina. Zurita. Mariana.

Alteram Martini P.P. mandato legationem Fonseca perficiendam suscepit, vt Petri de Luna Schisma, de quo proximè meminimus, quod latè

Felix Contelorius.

latè per vniuerſam Hiſpaniam fundebatur, & contjnentis incendij more, totam (vnâ exceptâ Luſitaniâ, quæ iuſtorum P.P. partes perpetuò ſecuta eſt) corripuerat, extingueret. In Arce Paniſcolæ Dertuſenſis Epiſcopatus, Luna ſe continebat loci munitione confiſus, & plenum diſſidijs orbem conficiebat, Martinus religione motus vt Sacris dominantem reprimeret, & à loco, ac dignitate Antipapam deturbaret, crucem ad expugnationem Paniſcolæ per Aragoniam, Valentiam, Vaſcôniam, Caſtellam, & Inſulas Baleares indici præcepit. Sacræ expeditionî præpoſuit Cardinalem Fonſecam: Mariam verò Aragoniæ Reginam in obſidionem Arcis iam propenſam, datis in id litteris vehementiùs incitauit. Ingens militum numerus cruce inſignium breuî confluxit, quos Legatus idoneis ad pugnandum adhortationibus accendebat. Cæterùm conceptus bellandi ardor, occulto Dei iudicio, in militibus, paulò poſt ita refrixit, vt totus ille ad gerêndum bellum apparatus, temporis momento euanuerit. In cauſa fuit Legati morbus in medio rerum curſu, qui eumdem lecto affixit, & rem diſiecit: & callida Regis Aragonij cunctatio Pſeudopontifici clàm fauentis. Itaque Fonſeca expugnandæ Arcis, & ſacri belli conficiendi ſpe deiectus, recuperata vtcumque valetudine, re infecta, in Italiam nauigauit.

Auberyus p. 2. pag. 107.

Bulla Martini V. ibid. dat. Aprilis P.P. anno 3.

Vix ad Caietæ portum appulit, cùm in vrbem

Auberyus ſuprà citatus. Monſtrelet. lib. 2. c. 6.

V

ſe contulit, vt Martinum P.P. de rebus in Hiſpania geſtis certiorem faceret: Breui interiecto tempore, ad Alphonſum Aragonium, occupando Neapolitano Regno intentum, cùm Legatione miſſus, vt in gratiam cum Pontifice rediret, ſi fides habenda eſt Auberyo diligenti, ac erudito ſcriptori; ſi Felici Contelorio, vt Ioannam II. Ladiſlai Regis Sororem, Neapolis Reginam, & Alphonſum, à belli conſilijs ad pacis ſtudia reuocaret. Verumtamen quia Martinus per id tempus Ludouico Andegauenſi faueb̂at, quem Ioanna in filium adoptauerat, & Regni hæredem inſtituerat, difficile creditu eſt in Alphonſi gratiam Legatum miſſum. Id fortaſſe à Martino factum credimus, quia tempori cedendum putauit; neque imitandum Aragonium, cui irato pronum erat nondum benè ſopitum Petri de Luna ſchiſma, graui rei Chriſtianæ malo, leui de causâ ſuſcitare. Vtcumque ſit, ſilentio non committam quod Petro Cardinali in hac Legatione contigiſſe narrat Paulus Iouius. Nam cùm Alphonſus de tollendo magno Sfortia hoſte cogitaret; cumque dolo euocatum apud ſe in regia biremi haberet, iamque illi laqueum pararet: Fonſeca opportunè ad ſeruandam Sfortiæ vitam triremi vectus apparuit: in cuius gratiam Rex odium, iramque depoſuit, & clariſſimum Ducem liberauit.

Contelorius p. 1. ex lib. Participation. 27. Septembr. an. 1421. Collenut. in Hiſt. Neap. Anton. de Ruffi, in Hiſt. Comit. Prouincia. Spondan. an. 1420. n. 11. Bzouius tom. 15. an. 1420. n. 18. Conſtant. lib. 14. Surmont. lib. 14. Hiſt. Neapolit. Pandulphus Coll. lib. 5. Rer. Neapolitan. Franciſcus Macedo in Propugn. p. 2. c. 2.

Iouius de Sfortia cap. 57.

Aubery pag. 103.

Contelorius.

Confecta Legatione, in Vicum Varronis (Vicouarum communi vocabulo dicunt) peramæ-

num Tiburtinæ ditionis oppidum, à Saluberrima cœli temperie commendatum, Petrus Cardinalis secessit, vt litterarijs meditationibus, & honesto otio vacaret. Sed nequaquàm cessit illi res è sententia: ab edito quippè scalæ cuiusdam gradu, fallente vestigio, & impetu ab alto capto, in imum cecidit; ac eo ex casu tam malè acceptus est, vt paulò post è corporis contusione sit mortuus, die 20. Augusti, anno M. CDXXII. Martino V. P.P. Max. Impp. Sigismundo in Occidente, in Oriente Ioanne VII. Idque ex Epitaphio, sepulturæ inscripto perspicuè constat; & ex grauissimorum Authorum testimonijs, Contelorij, Ciaconij, Seuerini de Faria: quamquàm Panuinius, Auberyus, & Contelorius parùm sibi constans, in Martino V. affirment decessisse XXI. Augusti. Nobis prima sententia magis probatur, quæ vna tantum die à secunda dissentit. Elatus est solemni pompa ad Basilicam Vaticanam, & in Apostoli Thomæ Sacello, nobili sepulchro marmoreo conditus.

August Oldoinus S.I. in Addition. ad Ciacon.

Contelorius. Ciaconius: Seuer. de Faria. Panuinius. Auberyus. Contelorius.

Paulo V. P.P. Basilica ad augustioris structuræ formam instaurata, in subterraneam cryptam translatus, atque Innocentij IX. & Marcelli II. P.P. sepulturis proximus quiescit. Prominet edito ad conspectum tumulo iacentis è marmore statua, Cardinalis habitu eleganter elaborato, imposita capiti tiara, inserto in mediam tumuli partem gentilitio Fonsecarum stemmate, quinis in

Paulus V. P. P.

Fonseca Gentis Symbolum.

campo aureo ſanguinei coloris ſtellis; ijs Epitaphij loco carminibus additis:

Guina ſanguinei coloris ſtellulæ ſenis micantes radijs ac diſtributæ in quincucem: in Apicem Taurus aſſurgit aurea ſtellanotatus.

Ortus in Heſperijs Præſul digniſſimus oris
Fonſeca de prole Petrus, lux, gloria magni
Sanguinis, & patrij ſuperexaltator honoris
Hic iacet; à Sacro titulum Michaele recepit
Cardineum; cuius ſapientia claruit altas
In Laudes; ſenſati animi mirabilis iſte
Doctor erat, diuina colens, & amator honeſti,
Mente pius, recti prudens, moderator & æqui.
Venit amara dies, quo diræ ſyncopa mortis
Heu? Patrem hunc rapuit, Domini lab entibus annis
Mille quadringentis bis denis, atque duobus,
Dum vicena dies Auguſti panderet altra;
Spiritus in cœlo tecum, Sacer Angele, viuat.

Scripſerunt de Cardinali Petro Fonſeca, Platina in Martino V. Ciaconius, & Spondanus, qui eumdem à vitæ integritate, & doctrinæ præſtantia commendant, Bzouius tom. 15. anno 1422.n. 1. Panuinius in Martino V. & Benedicto XIII. Felix Contelorius p. 1. Elenchi S. R. E. Cardin. ſub Martino V. & ſub Benedicto XIII. Ludouicus Donius d'Attichy, in Floribus S. R. E. Cardin. tom. 2. anno 1417. Auberyus p. 2. Hiſtor. Cardin. ad annum 1418. p. 107. & 108. Odoric. Raynald. ad ann. 1420. Paulus Iouius in Hiſtor. c. 57. Salazar Inuent. Hiſpan. pag. 135. Mariana de Reb. Hiſpan. lib. 19. c. 18. Andreas du Cheſne, in

Hiſt. P. P. Rom. tom. 2. ſub Martino V. pag. 315. Ex Luſitanis Franciſcus de Macedo, in Propugnac. Luſitano Gall. p: 1. pag. 214. Dominus Rodericus Acunha, in Chron. Ioannis I. Regis Luſitan. c. 27. Emmanuel Seuerinus de Faria in M. S.S. de Card. Luſit. §. 7. Antonius de Souſa de Macedo, in excellent. Luſit. excell. 3. c. 23. Emmanuel de Faria Souſa, in Epitom. Hiſt. Luſit. p. 4. c. 16. Georgius Cardoſo, in opere *de Tiaris Luſitanis* propediem in lucem edendo; & alij, quos breuitatis causâ omittimus.

Evgenio IV. P.P.

ANTONIVS MARTINEZ

DE CLAVIBVS EPISC. PORTVCALENSIS

Presbyter Cardinalis S. Chrysogoni.

Anno 1439.

AQVIS Flauijs nobili in Prouincia Transmontana oppido, in lucem prodijt: vrbi Portucalensi Antonij natales alij scriptores adsignant. Parentum nomina interciderunt: Culpam Historicis imputemus, temporum iniuriæ tribuamus. Honesto loco natum credimus, vt ipsum nomen præsefert: egregia ad doctrinam & virtutem indole: vtriusque specimen in scholis præbuit. Adulta iam ætate, & litteris probè instructus, ad obeunda reipubl. munia & sacras dignitates obtinendas idoneus, pingue Sacerdotium in principe Vlysipponis Basilica, mox Decanatum, in Eborensi adeptus est. Indè gradum fecit ad altiores dignitates; ad Ecclesiam Portucalensem euectus, & in edito Cathedræ Episcopalis loco collocatus, ne sub priuatæ vitæ tenebris delitesceret; sed publico virtutum exemplo præluceret omnibus. Et quamquam Episcopale munus, quia animarum curam gerit, diuinam penè virtutem, & omnibus numeris absolutam

Cunha. in Catal. Episcop. Portuc. cap. 28. Seuerin. de Faria §.8. Georg. Cardoso tom. 3. Agiol. Lusitani.

postulet sapientiam: & quia gradus honoris est, ad continendam in officio multitudinem, dignitatem cum magnificentiæ splendore coniunctam exigat; ea doctrinæ & modestiæ laude Antonius excelluit vt Pontificiæ dignitatis amplitudinem cùm vitæ probitate, miro quodam nexu strinxerit.

Graue per id tempus bellum vigebat inter vtrumque Ioannem, Lusitaniæ, & Castellæ Regem: & militum licentia, nullo sacri profanive discrimine, cædibus, ac rapinis cuncta miscebat. Vt laboranti rei publicæ, & Catholicæ tempestiuè subuenirent Episcopi Lusitaniæ; habita, Martini V. P.P. Max. qui tum præerat Ecclesiæ, mandato, Bracharæ Augustæ Synodo, idoneis decretis editis licentiæ militari modum imposuerunt, & perditorum hominum audaciam frænarunt. In eo grauissimo Patrum Conuentu Antonij Episcopi authoritas, & doctrina mirificè enituit. Idcirco Rex Eduardus, qui Ioanne parente è viuis sublato, rerum potiebatur, cùm neminem prudentia, animi magnitudine, & omni ciuili virtute illo præstantiorem iudicaret, socium adlegit Alphonso Nepoti suo, Comiti Ourensi, quem ad Basileæ Concilium Oratorem destinauerat. Atque inter cætera, in mandatis dedit, vt seriò agitarent de componendis inter Carolum VII. Galliæ, Henricum VI. Angliæ Reges, & Philippum ducem Burgundiæ, discordijs, quæ

Faria.

Idem Scriptor. Chron. Eduard. Reg. Lus. cap. 8. Anton. Vasconcellius. in Anaceph Eduard. R. Fr. Francisc. de Macedo in Propugn. p. 1. ar. 25. Meyerus lib. 26. Monstrelet lib. 2.

Spondan. an. 1435. n. 6. Petr. à S. Romualdo, anno citato. Oliuer. lib. 1. c. 3. Æneas Silu. Comment. l. 6. Polydor. Virgil. lib. 23.

non ſine graui Chriſtianæ reipubl. damno, inter illos Principes eo tempore vigebant. Atrebati Arteſiæ Metropoli, anno demum M. CCCCXXXXV. inter Gallum & Burgundum, idoneis pro tempore conditionibus, pax coaluit, ſolenni iureiurando firmata. Interfuere omnium ferè Gentium Legati. Quæ fuſiùs deſcribere noſtri inſtituti non eſt. Baſileæ, Alphonſus munificentia pene regia, & Antonius, inſigni probitate, ac doctrina Luſitani nominis dignitatem egregiè ſuſtinuerunt.

Brandan. in Monarch. Luſit. p. 3. l. 10. c. 15. Macedo in Append. ad Luſit. Liber. cap. 5.

Quem verò iis locum Concilij Patres aſſignauerint; certò non conſtat: Brandanus, & Macedo, nobiles ſcriptores Luſitani, ex vetuſto libro M. S.S. digniorem Legatis Regum Aragoniæ, Neapolis, Nauarræ, & Cypri, locum habuiſſe teſtantur, Penè illos fides ſit. Liquet à Iulio II. P P. Rom. hunc in ſedendo ordinem ſolenni lege præſcriptum anno M. DIV.

Ceremoniale Iulij II. Paris de Graſſis Benon. Chriſtoph. Beſoldus. Spondan. an. 1584. n. 15. Franciſc de Macedo p. 2. Propugnac. c. 5. Alter Macedo, in Luſ. Liberata, ad finem.

Imperator.
Rex Romanorum.
Rex Franciæ.
Rex Hiſpaniæ.
Rex Aragoniæ.
Rex Portugalliæ.
Rex Angliæ.
Rex Siciliæ.
Rex Scotiæ.
Rex Hungariæ.
Rex Nauarræ.

Rex

Rex Cypri.
Rex Bohemiæ.
Rex Poloniæ.
Rex Daciæ.

De qua ſeſſionis prærogatiuâ minor hoc æuo controuerſia eſſe poteſt, in concurſionibus ad Catholici orbis Concilia, & Conuentus, fuſo latiſſimè per magnam orbis partem Luſitanorum imperio, & Catholica Religione, eorum operâ, armiſque vbique propagatâ.

Coortæ inter Eugenium Papam, & Patres Baſileæ diſcordiæ in loco idoneo aſſignando, ad quem Græcæ Vnionis cum Latinis causâ conuenirent, Rom. Eccleſiam per eos dies quàm maximè turbabant; eò grauiùs ac periculoſiùs, quò ſpecie Religionis tegebantur. Baſilienſes, Baſileam, Auenionem, aut Sabaudiam elegerant: Eugenius, Florentiam, vel Vtinum deſignauerat: In huius ſententiam iuere nonnulli Concilij Patres, priuatis odiis depoſitis & communi rei Chriſtianæ ſtudio ducti. Ab iis deſtinati in Orientem Legati Petrus Dinienſis Epiſcopus, Gallus, & Antonius Portucalenſis Epiſcopus, Luſitanus, Regum ſuorum ad Concilium Baſileæ Oratores, vt Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem, & Iozephum Patriarcham Conſtantinopolitanum ad Concilium inuitarent, Ferrariamque, paratis in id triremibus deducerent, Iunio menſe, anno MCCCCXXXVII. Bononiam recto itinere per-

Acta Concilij Florent.

Acta Concil. Baſileenſ.

Eccleſia. ſcriptor.

Panuinius. Platina ſub Eugenio IV. Ciaconius. Patrit. in act. Conc. Baſil. & Iuſtinian. in Act. Flor. C. Ex Litter. Eugenij ad Græcor. Imperat.

Roderic. Episc. Calagu. in lib. M.S.S. pag. 118.

Ex Litt. Apost. Eugen. P. P. Felix Contelor. in Elencho S.R.E. Cardin. parte 1. sub Eugenio IV.

uenerunt, in qua tum vrbe Pontifex versabatur: à quo benignè suscepti, & Venetias dimissi, vnâ cum Christophoro Garetono Episcopo Coronensi, Pontificio Legato, conscensis triremibus, tertio Nonas Septembres Constantinopolim appulerunt. Aduenere paucis pòst diebus Marcus Archipræsul Tarantesiæ, & Nicolaus de Cusa, Germanus; quem Nicolaus V. demortui Eugenij successor, S. Petri ad Vincula Presbyterum Cardin. creauit. Horum rationibus permotus Palæologus Ferrariam se conferre decreuit: cùm sibi persuaderet Imperij causam cum Religionis causa ita esse coniunctam, vt quantum de religione detraheretur, tantùm de obsequio subditorum, & Imperij maiestate decederet. Prætereà inualescenti eo maxime tempore Christianorum discordiis, Turcarum potentiæ firmatis religionis concordiâ, Latinorum & Græcorum animis, & coniunctis viribus, obuiàm iri posse credebat.

Spondanus. Vita Eugenij P. P. præuia Conc. Flor. ex Regia Concil. Edit. Parisiensi.

Abrogatâ per Eugenium, graues ob causas, Pseudo-Synodo Basieæ; & aliâ Ferrariam, quò se is contulerat, solenni more indictâ, Alphonsus, Comes Ourensis, Regis Lusitaniæ Legatus, & plures viri Principes, qui Basileæ hærebant, è re Christianâ duxerunt, desertis, quibus hactenùs adhæserant Basileensibus, Eugenij, legitimi Pontificis partes sequi & Ferrariam confluere: quò maior Eugenio, Concilioque authoritas, & potentia accessit. In eam item Vrbem Paleologus

Acta Concil. Florent. p. 2. collat. 2.

Imperator anno M.CCCCXXXVIII die IV. Martij ingenti omnium ordinum concursu, Triumphantium Imperatorum more inuectus est. Tegebant Imperatoris latera ipsius frater Demetrius Despotes, & Patriarcharum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani Legati. Quatuor post diebus peruenit Iozephus Patriarcha C. P. & multi ab Oriente Episcopi explicandæ religionis studio, atque in vnam cùm Latinis sententiam conueniendi.

Phranzes l. 2. a. c. 14.
Spondan. Anno 1438.
Genebr. in Chronico.
Platina in Eug. IV.
Bellarm. l. 1. de Concil. cap. 5.
Azor. p. 2 Instit. Moral. lib. 5. c. 17.
Coriolan. in summa Concil.
Gualter. in Chronolog. decimoquinto seculo pag. 720.
Acta Concil. Flor.

Florentiæ, in quam, grassante per Ferrariam fœda lue, translatum fuit Concilium, post longas disceptationes, Græci cùm Latinis conuenerunt de ijs fidei articulis, de quibus maximè dissidebant. Summo animorum consensu stabilitum (vno excepto Marco Ephesio) Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere. In Azymo & fermentato pane ritè confici Christi corpus, iuxtà diuersos Ecclesiæ Occidentis, & Orientis mores. Pontificem Romanum totius Ecclesiæ caput esse, cui vniuersi orbis Episcopi primas deferre tenentur. De Purgatorijs denique pœnis Catholica Dogmata statuta. Atque his fidei Decretis Eugenius cum cæteris Concilij Patribus subscripsit: inter quos Antonij Episcopi Lusitani subscriptio visitur:

Ego Antonius Episcopus Portucalensis subscripsi.

Confectis ex animi sententia Concilij rebus, Eugenius nullum grati, memorisque animi officium prætermisit in Eduardum, pijssimum Lusi-

taniæ Regem, qui ſummæ authoritatis Legatos ad Concilium miſerat; & nefas eſſe ducebat ipſius partes ſingulari ſtudio non tueri. Inter alia priuilegia indulſit, vt in poſterum Luſitanis Regibus liceret ſacro oleo inungi, cùm Regni adminiſtrationem inirent. Id tamen inunctionis ſacræ Priuilegium iam antè conceſſerat Martinus V. Ioanni, hoc nomine, I. in gratiam Petri, eius filij, Eduardi fratris, qui magna orbis parte peragrata, religionis causâ, Vrbem venerat. Antonium, qui in ſuperandis Græcorum difficultatibus egregiam conſtantiam, ac prudentiam præ ſe tulerat; atque in adducendo Ferrariam Græco Imperatore impigram, & fidelem operam Eccleſiæ Romanæ nauauerat, Cardinalem Preſbyterum tit. S. Chryſogoni inſtituit Florentiæ 18. Decembris, anno M. CCCCXXXIX. Reliquum vitæ tempus Romæ Cardinalis exegit. Nicolâi V. Electioni interfuit; quem Diuini Numinis conſilio, non hominum ſuffragijs, creatum Pontificem affirmauit. Hoſpitalem S. Antonij Domum, Luſitanæ Nationi, in ea vrbis regione poſuit, quæ *Campus Martius* nominatur: anno M. CCCCXL. in qua Luſitani vel morbo laborantes, vel Romam pietatis gratiâ venientes proprium & commodum receptaculum haberent. Procedente die, nobiles Luſitani amplificandæ Domus ſtudio ducti, annuas penſiones ſtatis temporibus exigendas, eidem Hoſpitio legarunt: atque in eius Templo

Zurara in Chronic. Eduardi c. 5. Fr. Franciſc. Macedo in Propugn. p. 1. pag. 214. & p. 2. Gall. cap. 3. Georg. Cardoſo in Agiol. ad 21. Februarij. Cunha in Catal. Epiſc. Port. p. 2. c. 28. Auberyus an. 1439. Panuinius in Eug. IV. Ciaconius. Contelorius. VI. Cunha cap. 28. Anno 1447. Platina & in Nicolao V. Ciaconius. Donius, in Florib. Card. an. 1446. pag. pag. 178. Emman Seuer. de Faria §. 8. Tabular. S. Antonii. Nation. Luſit. Rom.

magnificè constructo sepultus iacet Doctor Nauarrus, doctrina & pietate in paucis clarus. Petrus à S. Romualdo, scriptor Gallus, ineptè dicit in suo Thezauro Chronologico & Historico Nauarrum *tumulatum in Templo S. Andreæ de Padua, in Campo Martio.*

Petr. à S. Romualdo tom. 3. Thezauri Chron. & Hist. an. 1586.

Ne tamen videamur cùm iniuriâ honoris alieni Antonium Cardinalem, proprium tanti operis Authorem venditare, operæ pretium erit litteris prodere quæ à probatæ fidei viris, de hac re consultis, accepimus. Nobilis fœmina Lusitana, *Guiomar* nomine (*cognomen per summam hominum incuriam intercidit) familiâ Noroniâ inprimis illustri, oriundam non leuibus coniecturis ducti, suspicamur. Hierosolymam peregrinationem instituit: qua confectâ in vrbem rediјt. Moriens anno MCCCLXIII. amplas, quas incolebat, ædes in regione, à *Montibus* dicta, ædificando Templo, & Lusitanæ Gentis Hospitio, ea lege reliquit, vt Deiparæ de Bethleem dicaretur: & lychnus pensilis perpetuo illustris lumine arderet ad eiusdem Deiparæ Imaginem, quam secum ab Hierosolymis detulerat, & summo pietatis sensu colebat. Id fuit Lusitanici in vrbe Hospitij initium.

D. Guiomar Lusit. Hospitium suæ Nationi in vrbe posuit.

Multis pòst annis Antonius Cardinalis curam nouæ struendæ Domus, Templique in loco vrbis digniori, ad Campum Martium suscepit, quod D. Antonio dicatum iri voluit. Idoneas prætereà leges sanciuit, vt vtriusque regimen op-

timè constaret: Hæ tamen, decurrente tempore, vt sæpè contingit, maiori ex parte antiquatæ; sicuti & aliæ statutæ leges à Petro Mascarenhas, clarissimo Dynasta, Ioannis III. Lusitaniæ Regis ad Paulum III. Legato. Quapropter anno M. DCXXXIX. die XXVIII. Decembris, Vrbano VIII. P.P. Max. Rege tum Lusitaniæ Philippo II. eiusque in vrbe Legato, Marchione de Castelrodrigo, nouæ leges conditæ; quibus publico Templi splendori, officijsque diuinis, & domesticæ Hospitij disciplinæ ritè consultum: quæ in hanc vsque diem ratæ, fixæque manent.

Tabular. S. Antonij Nation Lusit. in vrbe.

Sodalitati *à Suffragio* nuncupatæ certam pecuniæ summam Antonius ea conditione legauit; vt singulis annis, ineunte Nouembri, cùm anniuersaria Mortuorum commemoratio celebratur, ad S. Antonij, Lusitanæ gentis Ecclesiam semel conueniat; ibique solenni ritu Sacrum pro mortuo faciat.

Cæsar. Rasponus de Basil. & Patriarch. Lateran. l. 1. c. 8. & lib. 2. cap. 4. Seuer. de Faria.

In ornanda Basilica Lateranensi Antonij Cardinalis munificentia cùm religione certauit: Trigoriæ Castro Canonicis attributo: ex quo ter millenos aureos numos percipiunt. Vbi modò Ara maxima spectatur, Sacro-Sanctæ Eucharistiæ consecrata, ingens olim podium assurgebat, magnifico ad elegantiam proiectu, quod sex columnis, & aliquot parastatis triplici ordine discurrentibus, nitebatur; cuius frontem excipiebat, ornabatque mirifici nitoris Organum, Antonij

Cardinalis opus. Vetera hæc, Clemente VIII. P.P. diruta: & noua ædificij moles erecta, vt augustior Basilicam forma, speciesque ornaret.

Quam viuens ornauerat Basilicam, moriens eleganti sepulchro, in quo conderetur, decorauit. Exacta senectute, decessit anno humanæ salutis M. CCCCXLVII. die Iulij XI. Nicolao V. P. P. Impp. Federico III. & Constantino XV. Rege Lusitaniæ Alphonso V. Elatus est solenni pompa, & marmoreo ad Lateranum Sepulchro tumulatus, binis hinc inde columnis Sepulchri latera cingentibus, inciso gentilitio stemmate, quod quinis clauibus constat; & huiusmodi Epitaphio:

Sepulchrum D. Antonij Cardinalis Portugallensis, qui obijt Romæ die 11. mensis Iulij, anno à Natiuitate Domini M. CDXLVII. cuius anima requiescat in pace. Amen.

De Antonio, S. Chrisogoni Cardinali Lusitano, scripserunt Platina in Nicolao V. Panuinius & Ciaconius in Eug. IV. Auberyus in Hist. Gener. Cardin. ad an. 1439. Spondanus ann. 1437. Ludou. d'Attichy Episc. Æduens. in Florib. Card. anno 1446. pag. 178. Acunha in Catal. Episcop. Portucalens. p. 2. c. 28. Franciscus de Macedo in Propugnac. p. 1. pag. 214. Felix Contelor. sub Eugenio IV. in elencho Cardin. Antonius de Sousa Macedo, in excell. Lusit. c. 23. §. 3. excellent. 3. Cæsar Rasponus, de Basilica Lateranensi, lib. 1. c. 8. & lib. 2. c. 4. Emmanuel Seuerin. de Faria lib.

De Cardin. Lusitan. §. 8. Extat M. S.S. liber. in Bibliotheca Collegij Eborensis S. I. in Lusitania, & Chronicon Eduardi, Regis Lusitaniæ, in quibus multa de Antonio Episcopo Portucalensi traduntur: Quemadmodum & in Actis Concilij Florentini & Basileensis. Maiorem Portucalensis vrbis Basilicam, dum illius Episcopum ageret, & in Lusitania moraretur, magni pretij donarijs, & annuis redditibus instruxit; atque ad Aram Maximam Sepulchrum sibi destinauerat: visitur adhuc eo in loco Clauiæ Gentis Symbolum.

Stemma Gentis Clauiæ. Aureæ claues quinque in areola punicea in apice, binæ claues transuersim positæ punicei coloris funiculo constrictæ.

LODOVICVS

LVDOVICVS AMARALIVS.

EPISCOPVS VISEI.

ANTICARDINALIS.

Felice V. Antipapa.

Anno 1444.

LVDOVICVS, illuſtri Amaralium & Coſtarum familia natus, Viſei, admodum vetuſtæ vrbis, Epiſcopus, à Ioanne I. Luſitaniæ Rege ad Concilium Baſileæ miſſus eſt, anno à Chriſto nato M. CCCCXXXIII. vt in eo grauiſſimo Patrum Conuentu Regij Oratoris munus obiret. Coactum erat eo nomine Concilium, vt exortas de grauiſſimis rebus controuerſias componeret; & Religioni Catholicæ in Bohemia valdè laboranti opportunè conſuleret, vel pulſis indè Hæreticis; vel idoneis rationibus ad ſanam mentem conueſſis. Quæ vt ritè perfici poſſent, Romani Pontificis præſentiam exigere videbantur: Is erat eo tempore Eugenius IV. præſtanti non minus clementia, quam pietate Princeps, qui Pontificiæ dignitatis memor, quorumdam Epiſcoporum malignitatem deteſtatus, qui nõ ſtu-

Emman. Seuer. Faria de C. C. Luſit. §. 9. Georgius Cardoſus in litt. ad me dat. Vlyſipp.

Paulus Iouius in Elog. Iuliani. C.

dio inſtaurandæ religionis, ſed Pontificiæ dignitatis deprimendæ inſana libidine ducebantur, Baſileæ Concilio iniquorum ſententias, audire noluit. Damnato igitur Concilij loco, tamquam Græcis ad illud venturis, perincommodo: & aperta ſuſpectorum hominum fraude, congreſſui bipennim iniecit, & illum diſſoluit, & Actorum fidem abrogauit, ſolemneque Concilium Ferrariam edixit, ad quod Catholici orbis Epiſcopi conuenirent, vt controuerſiæ de rebus diuinis, morumque cenſura, vltima & legitima diſputatione finirentur. Eò vt ſe conferret cùm Orientis Epiſcopis, inuitauit Ioannem Palæologum Græcorum Imperatorem, qui paternæ virtutis, & Imperij Orientis hæres, iamdudum agitabat animo Oecumenico Concilio intereſſe, & Religionis vnionem cum Latinis contrahere, vt iactis mutuæ concordiæ fundamentis, ingruentium Turcarum potentiam coerceret, & Græcorum Imperium ſtabiliret: Cùm eadem quæ inuoluit gentes in Religione diſcordia, Regna impellat, & ruinæ periculum afferat.

Acta Concil. Baſil. Platina. Panuinius. Ciaconius. Acta Conc. Florent. Spondanus A. 1437. Contelorius.

Cæterùm Patres Baſileæ ſummis item viribus nitebantur in eam vrbem perducere Ioannem, vt illius præſentiâ maiorem Concilio potentiam, & authoritatem pararent: atque ad id impigre præſtandum Ludouicum Amaralium, Viſei Epiſcopum Luſitanum, & Ludouicum de Palude, Epiſcopum Lauſanenſem, Burgundum, delectos

Acta Conc. Baſil.

Seuerin. de Faria. Spondanus. Petrus Frizon in Gal. P.

ampla cum poteſtate Legatos Conſtantinopolim miſerunt. Conſcenſis Auenionenſium triremibus, illius vrbis portum tenuere V. Nonas Octobris, anno M. CCCCXXXVII. ad quem paulò antè appulerant Chiſtophorus Garetonus, Epiſcopus Corones, Antonius Portucalenſis, & Petrus Dinienſis, Epiſcopi, Eugenij P.P. Legati. Sed quæ in Occidente turbabant Concilia diſſenſiones, agitarunt in Oriente Legatos, Græcis vtriuſque partis contentiones damnantibus, & diſſidia ridentibus, ineptè à Latinis Græcos inuitari ad concordiam ſicque cùm ipſi inter ſe diſcordes in factiones abirent, impelli ſermone; & retrahi exemplo. Nec magis Orientem ab Occidente diſiungi, quàm Patres diuiſis animorum ſtudijs & ſententijs diſſiderent. Pugnabat in Luſitanum Luſitanus: in Antonium Portucalenſem Ludouicus Viſenſis Antiſtes: iſte Baſileæ Synodi partes, ille Eugenij P. P. acerrimè tuebatur. Difficile erat, vtri acquieſcendum eſſet diſcernere. Conſilio maturè habito, Imperator Græcus ſanas Eugenij partes ſecutus, Pontificijs triremibus, Venetorum apparatu inſtructis, cùm lectiſſimis Orientis Epiſcopis, Proceribuſque, Venetias primùm, mox Ferrariam, in qua Eugenius verſabatur, aduectus eſt, vt fuſiùs diximus in vita Antonij Cardinalis S. Chryſogoni. Amaralius, graui ob rem infectam dolore concepto, cùm Lauſanenſi Epiſcopo Legationis ſocio, Peram ſe recepit: mox quindecim

Sammarth. Fratres tom. 4. Gall. Chriſtian. ſub Epiſc. Tarant. f. 667.
Auberyus.
Act. Conc. Baſil. per Patritium.
Acta Con. Florent. per Iuſtinian. p. 1. tom. 30. Concil. edit. Typogr. Reg. Paris.

diebus vix exactis, in Germaniam profectus est.

Auberyus p. 2. Hist. Cardin. in Breuiario Anticardin.

Et si Orientis Legatio infeliciter euenisset, non proptereà despondere animos Patres Basileæ: neque Ludouicus promouendæ Pseudosynodi spe deiectus ab incepto destitit. Ab Oriente ad Occidentem conuersus, alteram Legationem obijt ad Philippum Burgundiæ Ducem, qui tum potentiâ, & rebus domi, forisque præclarè gestis maximè florebat, vt eum in Pseudosynodi fide & obedientia confirmaret. Confecta iam Legatione, dum Basileam expedito itinere rediret, cùm Legationis socijs, Ludouico de Vrbe, sedis Apostolicæ Protonotario, Dionysio de Sanberrais, Sacræ Theologiæ Magistro, & Stephano Plonerij, Iuris Canonici Doctore, captus, & detentus est, Eugenij P. P. mandato, si credere fas est Basileensibus, qui id apertè testantur in litteris Synodalibus, Actis Concilij Basileæ insertis, quarum initium est: *Audiat Charitas vestra.* Paucis pòst diebus, Ludouico oblata liberè abeundi potestas; eâ tamen conditione, vt socij in custodia manerent: quam ille prorsus reiecit, seriò affirmans se eamdem omninò cùm socijs aleæ fortunam subiturum; & cùm mirè obfirmatus in hac sententia persisteret, viri constantiam admirati aduersarij socios etiam libertate donarunt.

Acta Concil. Basil. pag. 729.

Epist. Synod. ad Legatos Principum super mutat. Conc. in alium locum inserta Actis Concilij.

Postrema ad Franciscum, hoc nomine 1. Britanniæ Ducem, Legatione Amaralius functus est, Illumque Principem grauibus, ac pijs in speciem

Sammarthani, de la Maison de France lib. 35. pag. 597.

rationibus in eam sententiam induxit, vt Pseudoconcilij partes tueretur, & tamquam legitimum Pontificem recognosceret, quem Patres Basileæ, breui interiecta temporis mora delegissent.

Aubery partie 2. Abregé Anticardin. pag. 38.

Emmanuel Seuerinus de Faria, vir eruditus, & Lusitanarum Antiquitatum diligentissimus inuestigator, de alia Amaralij Legatione meminit ad Albertum recens inauguratum, mortuo Sigismundo, Imperatorem, anno M.CCCCXXXVIII. Cæterum Albertus per id tempus totum se contulerat ad bellum Turcis inferendum, vt Georgium Seruiæ, quam Rusciam vocant, Despotem, à regia sede deiectum, armorum vi erigeret, & in solio collocaret. Cæsari, igitur graui ac periculoso cum Turois bello implicito, minimè licuit ab illo se expedire, atque aliò mentem, curasque conuertere. Neque procedente die, controuersijs Concilij componendis opportuna vacauit occasio, in medio rerum cursu, immatura morte præuento. Rebus ergò votis nullatenus respondentibus, Amaralius Basileam reuersus est. Hæc è codice M.S.S. Bibliothecæ Eborensis Collegij S. I. excerpta, litteris mandauit Seuerinus.

Seuerin. de Faria iam citat. §. 9.

Biblioth. Coll. Ebor. S I. in Lusitania.

Alberti Cæsaris obitum, qui non multis pòst mensibus contigit, audax Basileensium facinus excepit; Eugenium Pontificem, legitimum in terris Christi Vicarium, quòd citatus ad dicendam causam, Basileam non venisset, latâ in eumdem sententiâ, exauthorarunt; & vacante, vt

Anno 1439. die xxvij. Octobr.

Æneas Silu. in Hist. Concil. Basil.

falsò putabant, Apostolica Sede, ad nouum P.P. creandum animũ adiecerunt. Duos suprà triginta Electores è primariis Catholici orbis Nationibus designarunt, ex Italica, Gallica, Germanica, Hispanica, quò omnium conspiratione Gentium, suffragiisque inita Pontificis Electio, cunctis gratior, sanctiorque haberetur. Ex Anglica, quæ in Concilio Constantiensi quintam constituerat Nationem; nulli intererant Episcopi, nec Oratores; Si credimus Spondano. Verùm in lib. Sacrarum Cæremoniarum Eccles. Rom. l. 1. c. 5. pag. 60. in hunc modum scribitur: *In Constantiensi Synodo, quia Hispani cum suo Benedicto XIII. diù in contumacia persistentes, non affuerunt nisi in fine, natio Anglicana quartum locum obtinuit, quæ Basileæ cum Gallicana est connumerata.* Hæc lentiùs expendere ac definire nostri instituti non est. Inter Hispanos Amaralius destinatus Elector est.

Acta Conc. Basil. Hist. Eccl. Scriptores.

Spondan. An. 1439. n.

Lib. Sacr. Ceremon.

Collatis in vnum suffragiis, die v. Nouembris, anno MCCCCXXXIX. renuntiatus fuit P. P. Amedeus, Allobrogum olim Dux primus, qui ad Ripaliam, Diæcesis Geneuensis Oppidum, inter auias abditus solitudines, abiectis rerum mortalium curis, cælestem in terris vitam transigebat. Delatam sibi Summi Pontificatus dignitatem haud grauatè admisit, & seculo redditus, priuatâ personâ depositâ, publicam sustinuit in edito rerum Sacrarum apice constitutus. Mox desumpto specioso Felicis V. nomine, Ecclesiam

Acta Conc. Basil. Panuinius. Platina in Felice. V. Ciaconius.

Felix. Contel. in Felice. Donins in Flor. Card. tom. 2. an. 1449. Paradin. in Hist. Saband. lib. 3. cap. 29. Petrus Monodus

in partes ſciſſam deformi ſchiſmate lacerauit. Tenuit id annos IX. menſes V. dies VII. non ſine graui rei Chriſtianæ detrimento.

Vt factis legitimum ſe eſſe Pontificem probaret: & vniuerſarum orbis Nationum beneuolentiam colligeret, plures è diuerſis gentibus Epiſcopos, qui litteris ac pietate præſtabant, Cardinales creauit. In Germania Argentinenſem, Nouarienſem in Inſubria, in Latobrigis Lauſanenſem, Traiectenſem in Belgio, Tridentinum in Germaniæ, Italiæque confinijs, Friſingenſem in Bauaria, Dertuſenſem in Hiſpania, in Sicilia Panormitanum, Gneſnenſem in Polonia, in Gallia Lugdunenſem, Turonenſem, Pariſienſem, Caſtrenſem, Aquenſem, Nannetenſem in Britania Aremorica: in Sabaudia Geneuenſem, Maurianenſem, & Tarantaſienſem in Centronibus: Georgium item Vicenſem in Catalonia Epiſcopum; quem nonnulli cùm Ludouico Epiſcopo in Luſitania Viſenſi, nominum ſimilitudine decepti, confundunt.

S. I. in Amedeo Pacifico. Ioannes Buſſier. S. I. in Floſc. Hiſt. an. 1439. Iouius in Elog. S. citat. Petr. à S. Romualdo tom. 3. Theſ. an. 1434. Panuinius & in Felice V. Ciaconius in Nicolao V. Æneas Silu. in litter. dat. ad Ioan. de Segobio.

Donius in Florib. tom. 2. pag. 215.

Die 6. Aprilis, anno M. CCCCXLIV. Dum Felix moraretur Gebennis, quam frequentiùs & latiniùs vrbem *Geneuam* nuncupamus; quinque Cardinales creauit, Preſbyteros quatuor, Diaconum vnum: ex quibus duos tantum ſolemni ritu declarauit, Ioannem Arſium, Gallum, Tarantaſiæ Antiſtitem, Titulo S. Stephani in monte Cœlio, & Ludouicum Amaralium, Regis Luſitaniæ ora-

Anno 1444. Felix Contelorius in Felice V. Ciaconius & Frizon. malè reijciunt creationem in an. 1445. alter ſub Felice V. in Gall. Purp. l. 4. f. 506. alter. Seuer. de Faria § 9.

torem; quem titulum Cardinalatus huic indiderit, certò non constat. Paucis tamen ab obtenta dignitate mensibus, Amaralius superstes fuit. Insequenti quippè anno M. CCCCXLV. Ludouicum Coutinium Visei Episcopum iam creatum, in Annalibus Lusitaniæ reperimus. Dato mortalibus documento, breuî amitti, multis partas laboribus dignitates, & quæsitos diuturna ambitione honores, temporis momento euanescere. Obijt Ludouicus, Sedente Eugenio IV. Imperantibus, in Oriente Ioanne Palæologo, in Occidente, Friderico III. Infante Petro, Duce Conimbricæ, Lusitaniam gubernante.

Id omnium confessione liquet creandum fore legitimum S. R. E. Cardinalem à Nicolao V. Eugenij successore, si diutius vixisset Amaralius. Ioannem quippè Arsium, de quo supra meminimus, Archiepiscopum Tarantasiæ, & Ludouicum de Palude, Varambone Episcopum Maurianensem & Lausanensem, & Gulielmum Huyn Virdunensem, Archidiaconum Metensem, Anticardinales, vbi primum Felix V. 19. Iunij an. 1449. se Pontificatu abdicauit, & inito cum Nicolao concordiæ fœdere, pacem Ecclesiæ reddidit, is iusti P.P. partes agens, confirmato purpuræ honore, nouis ac legitimis Cardinalium titulis ornauit: cùm tamen in eadem naui cum Amaralio fuissent, & promouendæ Basileæ Pseudosynodo totis viribus incubuissent, & quod caput est,

Vide Frizonem in Gallia purpur. Felicem Contelor. & Sammarthanos Fr. in his Episcop. Spondan. an. 1443. Genebr. in Chron. an. 1439. Ciaconius in Nicolao V. Panuinius. Contelor. in Felice V.

est, Ludouicum Alammanum (Alamandum alij dicunt) Cardinalem S. Cæciliæ, Archiepisc. Arelatensem, cuius potissimùm consilijs, & pertinacia, tota Concilij Basileensis moles stetit, anathemate defixum ab Eugenio P. P. & Cardinalis dignitate priuatum, Nicolaus pristino honori restituit, & nouis muneribus decorauit, quo liquidò apparuit PP. Rom. Patrum Clementiam induere, non iudicum seueritatem præsferre. Nec facti pœniteret Nicolaum, si Alamando superuiueret: nam postquam is in gratiam cum Ecclesia redijt, cœlestium rerum amore inflammatus, ad sectanda Christi vestigia totum se contulit: tandem meritis, ac miraculis clarus ex hac vita migrauit; quem postea Clemens VII. Medices P.P. Max. Beatorum Catalogo adscripsit anno M. DXXVII. die 9 Aprilis data Romæ Bulla anno Pontificatus IV.

Claud. Robert. in Arch. Arelat. Spondan. a. 1438. Donius tom. 2. an. 1416. Æneas Silu. in Europa cap. 42. Canisius in Martyrol. ad 16. Septembris. Saxius in P.P. Arelat. fol. 350. Andr. Saussay in Martyrol. S. S. Gall. Ioan. Chenu, in Hist. Præsul. Gall. sub Arel. Bulla Clement. VII. P. P. Æneas Siluius rem graphice describit in Apol. ad Martinum Mayer. Spondan. a. 1439. Donius tom. 2. a. 1439.

Peccatum certè ab Amaralio, nec leuiter, existimo quòd Concilio Basileæ, & Felici Antipapæ pertinaciter adhæserit: ij tamen errores, viro alioqui egregiò, benigne condonandi, quod vel speciosa aliqua ratione deceptus; vel multorum Episcoporum, Nationumque exemplo motus, ab illorum partibus steterit. Licet enim Gallia, Hispania, Italia, Anglia, & Hungaria Eugenio studerent: Sabaudia tamen, Basileenses, Suitenses, Argentinenses, Caminenses in Saxonia: ex Ducibus Bauariæ, Albertus Monachij Princeps,

cum magni nominis Academijs Louanienſi & Colonienſi, Felicis partes ſequebantur. Poloni, Britones, Alphonſus Rex Aragoniæ & Siciliæ, nec Eugenio, nec Felici; ſed Pſeudocone Baſileæ adhærebant. Germaniæ pars maior in medio conſtituta, in neutram partem inclinabat; ſed ſuorum Epiſcoporum regimine contenta, monſtroſam Eccleſiam, ipſamque Nationem Acephalam reddidit. Si Mario Belgæ credimus, & Sabellico, Felicem recognoſcebat P.P. Carolus VII. Galliæ, & Alphonſus Aragoniæ Reges, quibus acceſſit Philippus Inſubrum Dux, & Fridericus Imperator. Si Chriſtophoro Hartmano; Albertus Auſtriæ Dux, Cæſaris frater, Albertus & Stephanus, Duces Bauariæ, Magnus Boruſſiæ Magiſter, Eliſabetha Alberti Imper. Vidua, cùm Bohemia, Hungaria, Sabaudia, Inſubria & Heluetia, Philippus item Dux Burgundiæ, & alij minoris famæ Principes, Felici, ceu iuſto P.P. obedientiæ obſequium deferebant. Breui tamen, detecto ſchiſmatis errore, à Felice ad Eugenium, mutato conſilio tranſierunt. Scriptores Galli, Carolum VII. Germani, Fredericum III. Felici fauiſſe negant: quibus, vti ſuarum rerum peritioribus meritò fidem habemus.

Marius Belga. Sabellic. Ennead. l.3.

Hartman. in Annal. Eremit. B. Virg. an. 1440.

Spondanus Frizon. Donius.

Illud extrà controuerſiam eſt: ſub initium Pſeudopontificatus Amedei, plures orientem Solem, ſub exitum, pauciores occidentem adoraſſe. In magnam igitur ſtudiorum ac ſententia-

rum varietatem diuiso orbe Catholico; & nunc huc, nunc illuc tantis dissentionum motibus fluctuante, pronum fuit Amaralio, rebus nondum benè exploratis, Felici Pseudopontifici studere.

Libentiùs in hanc eo sententiam, quia mihi compertum est Lusitanam gentem, gliscentibus per orbem discordijs & distractis in schismatibus, quæ in diuersa tempora inciderunt, nationum studijs, legitimos P. P. singulari fide coluisse. Cuius præclarum argumentum est: Cùm Pontificia sedes magnis Antipaparum motibus quateretur, & maxima pars Europæ Vrbani VI. veri P.P. partibus aduersa, Roberto Gebennensi, schismatico, dicto Clementi VII. studeret; Lusitania Petræ Apostolicæ firmiter adhæsit, & egregia obedientiæ documenta præbuit. Quòd si anteacti temporis iterum memoriam refricamus, antè oculos obuersabitur Mauritius *Burdinus* dictus, gente Gallus, patria Lemouicensis, Antistes in Lusitania Bracharensis, Henrici V. (IV. nonnulli scriptores appellant) Imperatoris schismatici potentiâ in sedem Pontificiam intrusus. Quem desumpto Gregorij VIII. nomine, ceu monstrum, detestata est, & Gelasium II. & Callixtum II. legitimos Ecclesiæ P. P. delato obedientiæ obsequio recognouit. Cùm tamen ad gentis Lusitanæ decus maximè pertinere videretur Bracharæ Augustæ Episcopum, totius orbis Pontificem reue-

Francisc. Macedo in Propugn. Lusitanogal. p. 1. confut. 20.

Acunha in Hist. Eccl. Vlysipp. p. 2. c. 95. n. 4.

Ciaconius in Gelasio II. & Callixto II.

Macedo in diatr. de Aduentu S. Iac. in Hispaniam c. 12.

Eccles. Hist. scriptor.

Marian. de Reb. Hisp. lib. 10. c. 11.

Acunh. in Hist. Brach. p. 2. c. 8. & 9.

Spondan. an. 1439. & an. 1378. n. 19. Brandan. Monarch. Lusit. p. 3. l. 9. c. 8. Yepes tom. 6. an. 1109.

reri. Sint pro coronide aurea plane Spondani verba: *Lusitania*, inquit, *toto illo longissimo schismate fidissima fuit semper P.P. in Italia sedentibus*. Alio in loco eadem repetit; & Lusitanæ gentis fidem in sedem Apostolicam, grauissimis verbis expendit.

Egerunt de Ludouico Visensi Episcopo Anticardinali, Panuinius & Ciaconius in Felice V. Antip. Felix Contelor. p. 2. Elenchi S. R. E. Cardin. sub Felice V. Spondanus, anno 1443. n. VII. Æneas Siluius de Concil. Basil. Auberyus p. 2. Hist. Cardin. in Breuiario Anticard. pag. 36. Emmanuel Seuerinus de Faria, de Cardin. Lusitan. §. 9. Ioannes Francus Barretus in Annotat. M. S. S. Anonymus, in lib. M. S. S. Biblioth. Collegij Ebor. S. I. in Lusitania. In Actis Concilij Basileens. & Florentini multa de Ludouico Episcopo Visensi traduntur. Illud ad calcem aduertendum duximus; in tom. xxx. conciliorum ex Regia Typogr. Parisiensi, qui Basileens. Concilij Acta continet, perperàm ad marginem appositam huiuscemodi annotationem, *Episcopo Aniciensi, pro Visensi: Visensi* quippe legendum est, non Aniciensi. De eodem P. Petrus Monodus S. I. in Amedeo pacifico fol. 85.

Amaraliorum Arma huiusmodi sunt: senæ lunæ cœruleæ, binis exceptæ, ac distinctæ fascijs, in aureo campo sitæ, surgente in Apicem leone aureo, cauda cærulea, falcatis vnguibus machæram prætendente, minantis instar, & vulnus intentantis.

IACOBVS DE PORTVGALLIA,

EPISCOPVS ATREBATENSIS,

Archiepiſcopus Vlyſipponenſis, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij.

CALIXTO III. P. P.

ANNO 1456.

IACOBVS perperàm dictus *Roſſa* à Panuinio & Ciaconio, cùm nullus vnquàm Regij ſanguinis Princeps Luſitanus id ſibi cognomen deſumpſerit: Infantem Petrum, Conimbricæ Ducem, Ioannis I. ex Philippa Lancaſtria filium, parentem habuit, Principem comparatis bello & pace laudibus clariſſimum. De quo nonnulla commemorare operæpretium ducimus. Is poſt adultos pubertatis annos, ſpectandi ſtudio ductus, magnam orbis partem peragrauit. Hieroſolymam, peregrinationem inſtituit; indè profectus, Babylone Sultanum inuiſit; & Amuratem, hoc nomine II. Adrianopoli; exceptus vbique ſummo populorum ſtudio, & comitate. In Italiam, non ſine labore contendit. Florentiæ, à Reipubl. Magiſtratibus; & Romæ

Panuinius in Pio II. Ciaconius. Seuerin. de Faria de Cardin. Luſit. §. 10. Pina, in Chron. Alph. V. cap. 126. Donius in Florib. Card. tom. 1. in præfat. Bzou. t. 15. an. 1426. n. 24. Acunha in Chronico Ioan. 1. Reg. Luſit. cap. 99. Nider. lib. 4. Form. c. 6. Eman. de Faria Souſa in Epit. parte 3. c. 11. Scipio Ammir. de rebus Florent. lib. 23. Mariana, de Reb. Hiſp. lib. 20. c. 26.

à Martino V. magno in honore habitus eſt. Ex Italia gradum in Superiorem Germaniam fecit: ac Sigiſmundi Imperatoris auſpiciis, cum Erico Daciæ Rege, Pontifice in id operam dante, aduerſus Turcas fortiſſimè bellauit. In Angliam poſteà traiecit, vt Henricum VI. & Lancaſtriæ Ducem, alioſque ſanguinis vinculo ſibi coniunctos Principes ſalutaret Equeſtris S. Georgij Ordinis inſignibus ab Henrico Rege decoratus in Hiſpaniam rediit. Valentiæ in vxorem duxit Elizabetham, Iacobi Comitis Vrgelitani filiam, Petri IV. Regis Aragoniæ neptem: ex qua ſenos liberos ſuſcepit: Petrum eleganti forma Principem, Luſitaniæ Conneſtabilem, quem Catalani, & multi Aragoniæ Dynaſtæ pulſo Ioanne II. Regem ſibi delegerunt. Ioannem Antiochiæ Principem, Regem Cypri deſignatum, iure vxoris ſuæ Carlotæ, Ioannis de Luſignano, & Helenæ Paleologæ, Regum Cypri filiæ, quæ marito breui extincto non ſine ſuſpicione veneni, Ludouico Sabaudiæ Ducis filio, Geneuenſi Comiti, ſecundò nupſit. Eliſabetham, Alphonſi V. Luſitaniæ Regis, olim coniugem. Beatricem, Adolpho, Adolphi primi Cliuenſium Ducis ex Maria Burgunda filio Rauenſteinij & Vvienemdallij Dynaſtæ, matrimonio collocatam: quæ Philippum filium genuit, à Ludouico XII. Rege Galliæ, vrbi Geneuenſi, & Claſſi Gallicæ aduerſus Turcas, ſummo cum imperio præfectum. Iaco-

Spondan. t. 1. an. 1424. Polydor. Virg. de Reb. Angl. ann. 1425. lib. 23 n. 4. Æneas Silu. in Comment. lib. 1. cap. 26. Zurita de Reb. Aragon. lib. 13. & l. 15. c. 56. & lib. 16. c. 32. Anton. Vaſconc. S. I. in deſcript. Luſit. p. 520. Auberyus parte 2. pag 298. Sammarth. Fratres in Hiſt. general. Gallic. tom. 2. lib. 42. pag 848 & 849. Petr. à S. Romualdo tom 3. Thezauri, anno 1414. Garibay l. 17. c. 9 & l. 23. c. 32. & 33. Mariana lib. 23. c. 6. 7. 10. Spondan. an. 1463. n. 2. Anton. de Naberat, & Ioan. Baud. in Hiſt. Heſpit. lib. 5. cap. 3. Henric. Giblet in Vit Luſign. lib. 10. pag. 609. Monod. in Amedeo Pacifico. Æneas Sil. in Comment. l. 7. pag. 322. & in Aſia cap 97. Auberyus & Sammarth. iam citati.

bum, de quo ſermonem inſtituimus; Diaconum Cardinalem S. Euſtachij. Philippam, Virginem lectiſſimam, diuinis atque humanis litteris eruditam, quæ in Sacrarum Virginum Odæo ab *Odiuellis* nominato, ſexto ferè ab Vlyſippone lapide, ſanctiſſimè vixit.

Georg. Cardoſo in Agiol. tom. 1. ad xi. Februarij.

Exploratis diuerſarum Gentium moribus, & multarum rerum peritiâ comparatâ, Petrus in Luſitaniam reuerſus, ingenti omnium Ordinum gratulatione vndique ad eum videndum, tanquam hominem cælo delapſum, accurrentium, exceptus eſt.

Mariana l. 10. c. 26.

Fato conceſſit Rex Luſitaniæ Eduardus anno à Chriſto nato MCCCCXXXVIII. relicto prætenerææ ætatis Alphonſo filio, immaturo ſceptri herede. Ergò Regni ordines, vt Reipub. ſaluti tempeſtiuè conſulerent, amota à regendi munere Eleonorâ Reginâ, Alphonſi matre, cui moriens Eduardus Regni procurationem demandauerat, Petro publicam rerum adminiſtrationem vicaria poteſtate detulerunt, donec Alphonſus iuſtam regnandi ætatem attigiſſet: quam ille prouinciam ſumma cum prudentiæ & iuſtitiæ laude ſuſtinuit: tam benè conſtitutâ Republicâ, florentibuſque domi & militiæ rebus, vt auream poſt ferrea ſæcula ætatem condidiſſe videretur. Cæterùm breuî rerum florentium curſum fœda tempeſtas interturbauit. Idoneam moderandę Luſitanię ætatem aſſecuto iam Alphonſo, regni gubernacula

Chronic. Eduardi R.

Chron. Alphonſi V.

Sammarth. Fratres in Hiſt. Geneal. Rom. Gall. lib. 41. titulo: Petrus Dux Conimbr.

Petrus ſolenni more tradiderat; & Conimbricam ſe receperat (Colimbriam externi ſcriptores appellant) pulcherrimam ad Mundam fluuium vrbem, doctrinarum ſtudijs celebrem; ibique illarum artium, quæ Principem decent, ornantque, exercitationibus deditus, vrbis amœnitate, ac delicijs in ſumma animi tranquillitate fruebatur; cùm repente inteſtina, & occulta æmulorum odia in lucem è tenebris eruperunt, quæ ipſo tempubl. moderante latuerant, alta diſſimulatione compreſſa. Vnicum ijs propoſitum erat, Petrum grauiſſimis calumnijs circumuenire, & opprimere. Imbecilla Alphonſum ætas ad credendum facilem, ad iracundiam pronum reddebat. Nec dum temporum curſus, & rerum experientia ad veritatem indagandam, detegendoſque Aulicorum aſtus ſatis erudierant: Ergo ij Pueri lateri perpetuo hærere; multa à veritate aliena deferre; eaque idoneis in ſpeciem rationibus confirmare: læſæ Majeſtatis reum Petrum inſimulare: & ſubiectis odij calcaribus Alphonſum ſponte ſua iam currentem, vehementiùs incitare, vt Patruum Luſitaniâ exigeret; vel de medio tolleret, regiæ Coronæ malis artibus inhiantem, quò, pacato in poſterum Imperio, amoto, vel ſublato æmulo, potiretur.

Hæc vbi reſciuit Petrus, Regi ſe ſiſtere decreuit, conſcientiæ teſtimonio fretus, vt fidei ſuæ rationem redderet; ſeque omni etiam culpæ ſuſpicione

cione liberum probaret. Contractis tamen fidissimorum militum copijs, quibus se contra æmulorum vim, & insidias in tempore præmuniujt, Conimbricâ Vlysipponem profectus est. Confecto propè itinere, non procul ab hac vrbe positis castris constiterat, quam infesto cùm exercitu aduentantis fama vano rumore compleuit, & Regiorum copias ad arma exciuit. Propè Alfarrobeiram, obscuri nominis fluuium, tanti solummodò Principis clade notum, tumultuario prælio inter se conflixerunt. Agminis frontem, Parentis mandato, tenebat Iacobus, florenti tum ætate Princeps: sed inferentibus se acriter hostibus, & nullo expectato pugnæ signo, incompositis ordinibus dimicantibus, suorum auxilijs destitutus, in Regiorum potestatem venit. Petrus, dum tranquillandis militum animis totus incumbit, sagittâ veneno illitâ per thoracem traiectus, occubuit, pari virtutis & infelicitatis famâ.

Annal. Lusit. in Alphonso V.

Sousa de Macedo Anton. Vasconcellius. Acunha in Chron. Alph. cap. 21. & 22. Emman. de Faria Sousa.

Iacobus parente orbatus in tam aduerso casu inuictæ constantiæ documenta dedit. Neque longo interiecto tempore, sedata iam tempestate, & Alphonso Rege ad clementiam flexo, è custodia liber demissus, Lusitaniâ valere iussâ, Belgium cogitauit. Nauem eò vela dantem conscendit, magno nobilium, qui Petri partes sequuti fuerant, numero comitatus. Facili ac secunda nauigatione vsus, Sclusæ, in Flandria vrbis, portum incolumis tenuit. Indè

Auberyus p. 2. pag. 298.

Donitus d'Attichy Episcop. Æduens. in Flor. Cardin. tom. 1. in præfat. n. 18. & 19.

Sammarthani fratres, de la Maison de France tom. 2. lib. 42.

Annales Lusitan.
Hareus, in annalib.
Burg. sub. Philippo III.
Iouius in Elogio Caroli.
Mayer, in Annal. Flandr. lib. 16.
Andr. Saussay Gall. de Gloria Andr. Apost.
Francisc. Mennen. in Ordin. Militar. Aurei Veller.
Heuter. in Philip. Bono lib. 4.

Brugas contendit ad Elisabetham de Portugallia, amitam suam; Ioannis I. Regis Lusitaniæ filiam, Philippi cognomento *Boni*, Ducis Burgundiæ & Flandriæ Comitis vxorem; qui in D. Andreæ Apostoli solennijs Equestrem Aurei Velleris ordinem Brugis instituit, cùm illam sibi iunxit matrimonio; ab Elisabetha eò maioribus amoris significationibus Iacobus exceptus, quò grauioribus eum periculis defunctum audiebat. Filij loco habuit, educauitque cum filio Carolo, quem ab assidua tractatione armorum, Pugnacem dixerunt: optimarum item artium studijs ad probitatis, & doctrinæ normam informari curauit. Conimbricæ, in Lusitania, ab ineunte ætate in humaniorum litterarum studia Iacobus incubuerat, & magnam sui expectationem commouerat. In Belgio, firmata magis ætate, & ad altiores disciplinas addiscendas idonea, per magni nominis præceptores ijs erudiri voluit: & breuî tam excelluit, vt ad virtutem & doctrinam natus videretur.

Claudius Robertus in Gall. Christ. sub Episc. Atrebat.
Sammarthani, ibi, p. 219.
Denius, in Florib.
Buzelinus S. I. in Annal. Gallo fiandr. l. 9. pag. 411.

Defuncto itaque per id tempus Fortigario de Placentia, Episcopo Atrebatensi, quæ ciuitas est Artesiæ primaria ad Scalpam fluuium sita, illius Ecclesiæ curam, Prouinciamque Iacobo, Philippus Flandriæ Comes imposuit 10. Kal. Aprilis anno M. CCCCLIII. In qua ritè administranda prudentiam suam, & probitatem cùm genti vniuersæ, tùm viris Principibus maximè probauit. Maturum in tenera ætate iudicium cum eximia pie-

tate coniunctum cuncti mirabantur; & ab ipso iuuentutis flore pulcherrimos virtutum fructus erumpentes: dignumque censebant, qui in edito Sacrarum dignitatum fastigio, matura iam ætate vir collocaretur, vt orbis vniuersitatem Pontificijs virtutibus impleret; & illustraret. Paulo post Archiepiscopatus Vlysipponensis administrationem, Elisabethæ interuentu, Alphonso Rege permittente, de P.P. consensu suscepit.

Italiam demùm, eadem Elisabetha suadente, contendit, ad sui iam nominis, & virtutis famam expectatione erectam: quam præcepta opinio, & præsentia omni maior opinione, latiùs vulgauit. P.P. illum Max. Callixtus III. qui tum Rom. Ecclesiæ præerat venientem benignè excepit; & Paphi, in Cypro insula, Episcopatus Commendatarium designauit. Mox cùm primos Cardinales creauit xx. Februarij, anno MCCCCLVI. Iacobum in Sacrum Patrum Collegium cooptauit, Diaconi Cardinalis dignitate, admodum iuuenem, sed maturo iudicio, moribusque laudatissimis vltrà ætatem prouectum, qui cùm per sese illustres essent, in regio sanguine plus claritudinis habebant. Panuinius & Ciaconius Iacobi creationem reiiciunt in XVIII. Septembris. Aubery, & Ludouicus Donius d'Attichy, in quatuor tempora Decembris anni M. CCCCLV. Cæterùm ijs, quæ diximus indubitatam fidem faciunt Callixti P.P. litteræ, citatæ à Felici

Ex lib. Participationum in Biblioth. Vatican. Contelor p. 2. Elenchi sub Callixto III.

Panuinius & Ciacon. in Callixto III. Auberyus. D'Attichy tom. 1. Flor. in Præfat.

Contelorius.

Raynaldus tom. 18. an. 1456. n. 71.

Contelorio, Vaticani Archiuij Præfecto, diligentissimo scriptore, & ab Odorico Raynaldo in Annal. Eccles.

Panuinius. Ciaconius. Acunha. Garimbertus. Spondanus. Claud Robertus. Sammarthani Fr. Contelorius. Æneas Siluius. Aubery. Bzouius. Zurita. Raynaldus. Macedo. De Leone. Vasconcellius. Faria. Tellez. Sammarthani. Seuerinus. Donius.

De titulo Cardinalatus, non leuis est inter Authores contentio. Panuinius, Ciaconius, Acunha, Garimbertus, Spondanus, Claudius Robertus, Sammarthani Fratres, in Gallia Christiana, *S. Mariæ in Porticu titulum,* Iacobo attribuunt. Contelorius, Æneas Siluius, Auberyus, Bzouius, Zurita, Odoricus Raynaldus, Antonius de Sousa Macedo, Eduardus Nuñez de Leone, Antonius Vasconcellius, Emmanuel de Faria Sousa, Balthasar Tellez, Sammarthani Fratres, in Hist. Regiæ Dom. Franc. gallico sermone conscriptæ *S. Eustachij Cardinalem* appellant: quorum sententiam certam reddit Pontificium Diploma, quo Callixtus III. Iacobum instituit Cardinalem Diaconum Sancti Eustachij. Emmanuel Seuerinus de Faria, & Donius d'Attichy nil hac in re certò statuunt; sed controuersiam indecisam relinquunt.

E viuis excessit Callixtus anno M. CCCCLVIII. in demortui locum suffectus Pius II. Senis in Hetruria, nobili Picolominea gente natus: eius creationi Iacobus Cardinalis interfuit. Inito Pontificatu, ad inferendum Turcis bellum totis viribus incubuit: Christianos ad id Principes per Legatos, ac litteras incitauit. Ipse cum ingenti, quem adornabat, exercitu, mare traijcere, & sacram expeditionem per se conficere, Deo adiuuante,

decreuit. Iacobum, quem ob excelſam indolem, & perſpectam ſibi prudentiam, magnis gerendis rebus idoneum iudicabat, Legatum deſtinauit ad Fridericum III. Germaniæ Imperatorem: Eleonoram quippè Iacobi conſobrinam, Eduardi Luſitaniæ Regis filiam, & Alphonſi Magni, Aragoniæ, ac Siciliæ Regis neptem, vxorem duxerat Fridericus an. M. CCCCLII. Idcircò Pius è re Chriſtiana duxit, ad illum mittere cum Legatione Iacobum, vt eiuſdem conſilio, & authoritate motus Imperator & Chriſtianæ religionis ſtudio ductus, infeſtis Turcas armis inuaderet; & communem cum Pontifice fidei cauſam bello perſequeretur. Cæterum Iacobo hanc obire Legationem non licuit immatura morte præuento. Florentiæ, dum ſe ad illam comparat, graui febri correptus eſt; ibique ſubſiſtere coactus, dum morbi vis remitteret. Sed inualeſcente in dies malo, obeundæ Legationis ſpe deiectus, lecto affixus hærebat. Accerſiti confeſtim medicæ artis peritiſſimi; conſilio interſe habito, vnicum deſperatæ ſaluti remedium ſupereſſe affirmarunt; Id erat: *Vt rei venereæ operam daret.* Totus inhorruit ad tam fœdum Veneris nomen Caſtiſſimus Princeps, qui ſeſe in B. Virginis patrocinium, ac clientelam iamdudum receperat, & nobiliſſimam caſtitatis virtutem à teneris pueritiæ annis omni ſtudio coluerat. Illo itaque conſtantiſſimè reiecto remedio, quod ſalutem corpori, animo interi-

Scipio Ammiratus de Reb. Florent. l. 23.

Acunha, in Chronic. Ioan. I. cap. 104. Macedo c. 11. n. 3. Seuerin. §. 10. Bzouius tom. 15. An. 1426. Toſcan. in Parall. c. 6. Donius, in Præf. tom. 1. Garimbert. lib. 3. c. 4.

Roffi, in Clypeo Castitati; pag. 89. Sammarthani Fratres, de la Maison de France tom. 2. pag. 817. Georg. Vasari, p. 2. f. 320. Bonifacius IX. S. Anton. parte 3. l. 24. c. 3. Donius in Flor. t. 1. pag. 414.

tum afferebat; *Malle se mori*, serio affirmauit, *Quàm illibatum virginitatis florem perditum ire*, raro ad posteros pudicitiæ documento. Casimiro, Sanctissimo Poloniæ Principi, exemplo continentiæ præluxit, ætate penè pari, regio sanguine ac virtute similis.

Eodem mortis genere obijsse ferunt Bonifacium IX. P.P. illustri familia Tomacella ortum, Neapoli: grauissimo quippè morbo laboranti, turpe cùm fœmina commercium, præsentis loco remedij, Medici præscripserunt. Maluit tamen Bonifacius, officij, ac nominis sui memor, mortem fortiter oppetere, eo repudiato remedio, quàm adhibito, certum salutis æternæ discrimen adire.

Robert. Card. Nobilis Turrigius in vita ipsius. Auberius parte 4 pag. 416. Roffi, in Clypeo Castit. Albius in Elog. Hist. Cardinal.

Par continentiæ documentum præstitit Robertus Cardinalis, Nobilis castissimis moribus præditus Adolescens; quod multi recentioris æui scriptores elogijs & carminibus æternitati commendarunt.

Itaque Iacobus, cùm iam in extremo vitæ discrimine versaretur, abiecta corpis curâ, animæ saluti, quæ sola supererat, Christiano ritu procurandæ intentus, opportunè Sacramentorum præsidijs se muniuit. Ardentibus deinde cœlestis patriæ desiderijs teneri cœpit; Immortalia cogitare: suauissima de rebus diuinis cum viris pijs miscere colloquia; detineri se in ergastulo corporis leniter conqueri, ac mortalitatis vinculis præpediri, ne mentis alas ad volandum explicaret. Adstantes demùm lecto orare, vt sacrificijs, &

fusis ad Deum precibus abeuntem prosequerentur: mox oculis in crucifixum, quem præ manibus tenebat defixis, IESV nomen idemtidem repetens, dormienti similis expirauit, die xx. Augusti, anno à Christo nato MCCCCLIX. Ciaconius, & Panuinius, Auberyus, & Sammarthani Fratres, obiisse memorant XVI. Aprilis. Seuerinus de Faria XIX. Septembris. Alij aliam obitus diem assignant. Traditam tamen à nobis sententiam sua satis authoritate confirmat Felix Contelorius de quo sæpè cum laude meminimus. Vixit annos quinque suprà viginti, menses vndecim, in ipso iuuentutis flore cælo maturus decessit; magnum sui reliquit desiderium cum præclara probitatis opinione. Sedebat id temporis in Petri Cathedra Pius II. Imperabat Germanis Fridericus III. Regnabat in Lusitania Alphonsus, hoc nomine V.

Ex lib. Particip. Felix Contelor. Ciaconius. Panuinius. Auberyus. Sammarthani. Seuerinus.

Constat ex Epitaphio Sepultura ad S. Miniati Florentiæ.

Exequiæ ingenti sunt omnium Ordinum concursu celebratæ, quas fusiùs describere, cum funebri pompa, & mausoleo erecto, ad Principis Cardinalis dignitatem pertinet: Eo etiam nomine gratum id erit Lectoribus, quoniam plenam & accuratam harum rerum narrationem à Carolo Thoma Strozio, grauissimo, ac eruditissimo Florentiæ Senatore accepimus, exceptam ex vetusto Diario M.S.S. Gori Ioannis, Reipubl quondam Florentinæ Familiaris, quod inter alia Antiquitatis monumenta Illustrissimus

Carolus Thom. Strozi Clarissim. Flor. Senator.

Diar. M.S.S. Gori.

ille Senator in suo Musæo asseruat.

Simul ac Iacobus obijt in domo Francisci Nicolai Cambini, continuò parari funus, solemnis instrui pompa, ingens omnium ciuium concursus fieri ad S. Mariam Maiorem, vbi in feretro expositum iacebat defuncti Cardinalis corpus, vt eius contemplandi copia per otium cuicumque fieret: eximia quippè viri probitas, regijque sanguinis claritas, vniuersam exciuit Vrbem, ad eum antè sepulturam visendum, & post sepulturam venerandum: illa ex templo solemnis in triumphi speciem pompa ad Principem vrbis Basilicam, Deiparæ *à Floribus* dictæ, dicatam, instituta, innumeris illustris hominibus, multisque circa feretrum viris nobilibus, in atratâ veste lugentibus. Vbi in Basilicam ventum; Sacrum pro mortuo fecit Orlandus Bonarlius, Archiepiscopus Florentinus: Sacro interfuit, honoris causâ, Reipubl. Magistratus, habitu ad mœrorem composito. Iustis, Romano ritu, defuncto persolutis; à Monachis Oliueranis elatum est cadauer in suum à S. Miniato de monte Templum, ibique temporario monumento conditum. Procedente die, Cœnobium à Monachis relictum Presbyteris ordinarijs cessit; & in sinum nouæ Arcis circumducto muro receptum, toto ferè anni vertentis circulo clausum, vix diebus festis eò sacrorum causâ adeuntibus aperitur. Anno postea M. CCCCLXVI. Archiepiscopotum Florentiæ

Vghell. t. 3. Ital. Sacra sub Arch. Florent.

Ioan. Neron. Arch. Flor.

rentiæ Ioanne Neronio, perfecto iam pulcherrimi operis ſacello, quod Iacobus moriens fabricari præcepit; & magnificentiſſimo è marmore Mauſoleo ab Antonio Roſſelino, magni nominis ſculptore, erecto, ibidem cadauer repoſitum fuit, piâ Aluari Epiſcopi Syluenſis manu; vt teſtatur maioribus inciſa litteris, Sacelli fronti in templum verſæ, huiuſcemodi inſcriptio.

Georg. Vaſari. p. 2. pag. 320.
Aluarus Epiſc. Siluenſ.

Aluarus Epiſcopus Syluenſis opus faciendum
Curauit; qui tranſlato Cardinalis corpore, Aram
D.D. Iacobo Vincentio, & Euſtachio, aſſignata dote,
Sacrauit xi. Kal. Octobris. A. MCCCCLXVI.

Interior fornicis in altum educti facies, ornata viſitur Symbolis trigintà ferè Regum ac Principum Luſitanor. Aragon. Angl. Caſtell. Cypr. Burgund. Cliu. qui Iacobum neceſſitudinis vinculo contingebant: Hac appoſita inſcriptione.

Qui ſurſum ſpectas, me legito; diſces circumpicta Regum
ſigna, non ex cuiuſque dignitate, ſed ex propinquiori
ſanguinis ordine locata.

Marmoreo Sepulchro inſcripta leguntur Carmina, quæ præcipua quædam de Iacobi natalibus, moribus, dignitate, & immatura morte delibant.

Regia Stirps, Iacobus nomen, Luſitana propago,
Inſignis forma, ſumma pudicitia.
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita:
Iſta fuere mihi; mors iuuenem rapuit.
Vixit annos 25. menſes 11. dies 10. obyt anno ſalutis 1459.

A Ciaconio, nonnulliſque recentioris æui ſcri-

Ciaconius in Pio II.

Bb

ptoribus additum :

Ne se pollueret, maluit ille mori.

Idoneâ, opinor, allusione ad Murem Armenium, quem Alphonsus XI. Rex legionis & Castellæ, teste Typotio, in Symbolum sibi desumpsit, corona ornatum, addita epigraphe, *Malo mori, quàm fœdari.* Candidissimis quippè villis conuestitus, cum pellis suæ candorem tanti facit, vt cubilis ostiolum à venatoribus, suscepto studio, limo circumlitum, nunquam attingat; malitque capi, & mori, quàm fœdari. Quæ in Iacobum optimè quadrant. Siluester Petra Sancta S.I. idem Symbolum, cum eodem lemmate tribuit Ferdinando Alphonsi Aragonij filio; & Bernardus Guido Petro de Iudice Cardinali Gallo, Gregorij XI. ni fallor, consobrino (vt alios omittam) sed in eo à Typotio dissentiunt, quòd Mures non coronatos inducunt.

Iacobus Typot. in I erogl. Reg. Hispan pag. 09.

Petra Sancta S. I. De Symb. Heroic. l. 2. c. 3.

Bern. in Gregor. XI.

Frizon, in Gall. Purpur. lib. 3. fol. 405.

Claud. Rober. in Gall. Christ. sub Archiep. Rotomag.

Illud à Vasario memoriæ proditum est Antonium, Pij II. P.P. Nepotem, Principem Amalphitanum, viso Florentiæ Iacobi Sepulchro, eiusdem pulchritudine & magnificentia captum, illius imitatione, aliud Neapoli poni curasse, quo demortuæ ipsius coniugis Mariæ cadauer conderetur. Quæ fusiùs narrat Georgius Vasari, in vita Antonij Rossellini, Sculptoris Florentini, de quo supra mentionem fecimus.

Georgius Vasari de Illustr. Pict. Sculptor. & Archit. p. 2. f. 320.

Ea doloris signa in obitu Iacobi Florentini ciues dederunt; ea in eiusdem funere amoris & mu-

nificentiæ argumenta, vt non Italiam modò impleuerint, ſed in Germaniam quoque harum rerum fama peruaſerit; Eleonoramque Auguſtam exciuerit, vt huius omnino ſenſus litteras ad illos dederit, plenas officij & gratulationis.

Leonora, diuina fauente Clementia, Romanorum Imperatrix ſemper Auguſta. Honorabiles ac Prudentes Amici nobis ſincere dilecti! Non nos præterit quanto amore, & affectione recolendæ memoriæ quondam D. Iacobum Portugallenſ. S. R. E. Cardinalem, conſanguineum noſtrum chariſſimum, dum in humanis ageret, proſecuti fueritis, quantoſque honores ipſi etiam defuncto decreueritis, & illius formas tam publicè, quam priuatim proſecuti ſitis. Qui cum nobilis tum ex propinquitate ſanguinis, tum etiam pro ſingularibus eius virtutibus maxime clarus eſſet; nimirum ex illius obitu, vt par erat, multùm & turbatæ, & contriſtatæ ſumus, conſiderantes quantum decoris, ac ſpei in illius vita tam Rom. Eccleſiæ, quàm etiam inclytæ familiæ Regiæ Portugallenſis repoſitum fuerit; quæ omnia illius interitu deciderunt. Tamen quia Diuinæ reſiſtere voluntati non poſſumus; neque humanitatis debito contraire: proinde ingentes vobis, ac vniuerſæ ciuitati veſtræ magnas habemus gratias, qui tantùm in illum, & viuum, & mortuum honoris contuleritis, vt exinde nedum ipſius perſonam, & formas, qui, vt accepimus, apud vos, in

Ex Regeſto litterar. extern. ab anno 1452. ad an. 1468. quod cuſtoditur in Archiuio Reform. Florent.

Monasterio D. Miniati est humatus; verùm etiam nos, & vniuersam Domum nostram, & omnes propinquos, & affines nostros honoratos esse arbitramur. Pro quo non immeritò semper dignas vestræ ciuitati, atque Reipubl. gratias habere debeamus: etsi quando acciderit, casusque tulerit, omnem gratitudinis vicem erga vos rependere: quod quantum in nobis erit, studebimus sedulò reminisci. Cæterum quia nonnullos reliquit testamenti sui exequutores, rogamus vos, vt in his, quæ pro exequutione illiusmodi voluntatis occurrerint, eos quàm commendatos habeatis. Dat. Viennæ die octaua Augusti 1460. Imperij nostri anno nono: Hungariæ verò Regni, *anno secundo.*

Æneas Siluius, in Europa, cap. 58.

Victor. in not. ad Ciacon.

Bozius tom. 1. de sign. lib. 2. sign. 48. cap. 7.

Eximias Iacobi virtutes paucis, sed disertis verbis complectitur Æneas Siluius: *Iacobus*, inquit, *de Portugallia, regio sanguine natus; in quo ea modestia, ea grauitas, id acumen ingenij, id studium litterarum, is amor virtutis emicuit, vt quamuis iuuenis adhuc, tardiùs tamen opinione omnium, ad Cardinalatus dignitatem ascenderit.* Andreas Victorellus ita scribit: *Inter plurimos Purpuratos Lusitanos, Iacobus hic Vlyssipponensis Archiepiscopus sanctimoniâ præluxit; vitæque innocentiâ, & castitate magis, quàm auita nobilitate laudatur.* Thomas Bozius: *Ante Cardinalem Robertum è familia Nobilium, Iacobus à Callixto III. creatus Cardinalis, Portugalliæ Regis filius Nepos, qui Florentiæ sepultus iacet in S. Miniati, vitæ prætulit integritatem.* Abraha-

mus Bzouius hoc elogio Iacobi laudes extollit: *Petrus ex Isabella Comitis Vrgelitani filia, suscepit præter alios filios Iacobum postea Cardinalem S. Eustachij, Archiepiscopum Vlysipponensem, iuuenem animi modestia, & grauitate, ingenij acumine, & eruditione præstantissimum, & continentissimum; qui cùm omnis libidinis expers esset, & in grauissimum morbum incidisset, à quo liberari posse medici dicebant, si fœminæ accederet: magno animo, & maiori puritate respondit: Malle se mori, quàm fœdari, aut pollui.* In eamdem ferè sententiam scripserunt Sammarthani fratres, Regij Historici Galliæ, in Gallia Christiana & in secundo tomo de la Maison de France, in Regio Stemmate Lusitaniæ, patrio semone sic: *Il est encores loüé de continence, & chasteté si grande, qu'estant tombé grieuement malade, & conseillé par les Medecins d'auoir la conionction d'vne femme pour guerir son mal, il ne voulut oncques y consentir, disant; qu'il aimoit mieux mourir, que d'estre pollu.*

Bzouius tom. 15. Annal. an. 1426. n. 14.

Sammarthani Fratres tomo 2. de la Maison de France, lib. 42. pag. 847.

Iacobi Cardinalis meminerunt plures scriptores externi, quàm nostrates Lusitani. Præter Æneam Siluium, Bozium, Victorellum, Bzouium, quos iam citauimus, multa de illo commemorant Panuinius, in Callixto III. & Ciaconius; Auberyus in Hist. Gener. Cardin. p. 2. sub Callixto III. Nomenclator Cardin. in Epitaph. Felix Contelorius, in Elench. Cardinal. p. 2. sub Callixto. Scipio Ammiratus, de rebus Florent. lib. 23. Hieronymus Garimbertus lib. 3. c. 4. Ioannes Baptista Rossi S. I. in Clypeo Castitatis, pag.

89. Hieronymus Zurita de Reb. Aragon. p. 2. lib. 13. c. 45. Claudius Robertus, in Gallia Christiana, sub Episcop. Atrebat. Sammarthani Fratres, in Gallia item Christ. tom. 2. sub. Episcop. Atrebat. Mariana de Reb. Hispan. lib. 20. ad finem: Spondanus tom. 2. Annal. ad an. 1457. n. 12. Odoricus Raynaldus, tom. 18. Annal. Eccl. ad an. 1456. n. 71. Georgius Vasari, in vitis Excellent. Pictor. Sculptor. & Architector. p. 2. pag. 310. Ioannes Buzelinus S. I. in Annalib. Gallofland. lib. 9. pag. 411. Ferreolus Locrius, & Nicolaus Gazæus, quos mihi videre non licuit. Marineus Siculus de Reb. Hispan. lib. 7. pag. 362. Carolus Thomas Strozius, grauissimus Florentiæ Senator in suis M. S. S. Cæteris luculentiùs Ludouicus Donius d'Attichy, Episc. Æduensis, in Floribus Cardin. tom. 1 in Præfatione. Æneas Siluius iterum egit de Iacobo in commentar. editis sub nomine Gobellini, lib. 4. & 5. Ex Lusitanis, Eduardus Nuñes de Leone, in Geneal. Reg. Lusitan. sub Ioanne I. Acunha, in Chron. Ioannis I. Reg. Lusit. c. 104. & in Chron. Alphonsi V. c. 23. Antonius Vasconcellius, in Descript. Lusitan. pag. 520. Emmanuel de Faria Sousa, in Epitom Histor. Lusit. p. 3. c. 11. Antonius de Sousa Macedo de Excellent. Lusitan. cap. 11. excellent. 1. Antonius & Franciscus Brandani, Monachi Cistercienses, diligentissimi Rerum Lusitan. Historici. Georgius Cardoso, in Agiolog. t 1. ad diem

11. Februarij, in Comment. Balthaſar Tellez S. I. tom. 2. Chronic. Prouinc. Luſit. lib. 6. c. 47. Emmanuel Seuerinus de Faria, de Card. Luſit. §. 10. Ioannes Francus Barretus, in ſuis eruditis Annotationibus M. S. S.

Iacobi Symbolum, ex Regijs Luſitaniæ & Aragoniæ inſignibus componitur.

Sixto IV. P.P.

Anno 1476.

GEORGIVS DA COSTA.

ARCHIEPISCOPVS VLYSIPponensis, & Bracharensis: Episcopus Cardinalis Portuensis.

Eman. Seuer. de Faria. §. 11.

Anno 14c6.

Iongelin. in Bern. Purpur. Osorius de Reb. Emman. lib. 1. pag. 16. Damian. de Goes, in Chron. Emman. Reg. parte 1. cap. 15. Acunha in Hist. Brach. cap 64. n. 5.

ALPEDRINHA, ignobile quondam oppidum in ea Lusitaniæ Prouincia, quæ communi sermone *Beira* nominatur, Georgij, Cardinalis da Costa, natalibus inclaruit. Id namque magnorum virorum virtutibus comparatur, vt quæ antè habebantur obscura, & nullius nominis Oppida, eorum natalibus clara, & illustria reddantur. Humili loco natum affirmant Hieronymus Osorius, & Damianus à Goes, nobiles illius temporis Historicis, Clarissimos habuisse parentes, nonnulli tradiderunt recentioris memoriæ scriptores.

In ipso ætatis flore, cùm prima Grammatices rudimenta poneret, euenit vt in peregrini habitûs hominem fortè incurrerit, qui perattentè inspecta pueri fronte, & ritè obseruatis ingenij latentis

latentis notis, quæ in ipsa iam facie se prodebant, prædixit, *futurum suo tempore Cardinalem*: quam tum prædictionem æqualium risu exceptam, verissimus posteà rerum exitus comprobauit.

Amœnioribus litteris in patria pròbè excultus, Lutetiam Parisiorum, Gallicas Athenas, se contulit, vt grauioribus disciplinis operam nauaret: Iustis in eadem Academia scholarum curriculis magna cum ingenij laude confectis, in Lusitaniam redijt. Vix Vlysipponem peruenit, cùm serenissimæ Infanti Catharinæ, Eduardi Regis filiæ, lectissimæ Virgini innotuit. Scalabi quippe, vbi Archipresbyterum agebat, cùm è superiori loco ad populum verba faceret; dicentis facundiam & sapientiam admirata Catharina, eumdem sibi Magistrum, & Capellanum adlegit: nec multo post Alphonsus, hoc nomine quintus, Lusitaniæ Rex Catharinæ Pater, à Confessionibus, & consilijs sibi adsciuit. Plurimùm deinde apud Regem gratiâ valere, publicis consultationibus interesse, priuatis suorum rationibus prospicere, cuncta pro arbitrio moderari, multorum sibi inuidiam, vt sæpe contingit, conflare, qui nimiam in Aula Georgij potentiam ferre non poterant. Continuato rerum florentium cursu, Sacras, easque maximas dignitates, adeptus est: Decanatum Vlysipponensem, Episcopatum Eborensem, Abbatiam Alcobaciensem *Iongelinus.*

Acunha p. 1. c. 74. n. 7.

opulentis vectigalibus instructam: Conimbricensis item Academiæ Protectorem egit; quem sibi titulum soli Reges, aut Regij sanguinis Principes vendicare soliti. Ad Ecclesiæ demum Vlyssipponensis Cathedram, Catharina Principe inprimis fauente, euectus est.

Annales Lusitani.
Anton. Vasconcell. in Alphonso V.
Francisc. Macedo in Propugnac. p. 1. §. 1.
Faria in Epit. Hist. Lus. in Alphonso V.

Cæterum vt omnibus constaret se publico magis bono, quàm priuatis commodis seruire, Alphonsum consilijs impulit, & iuuit opibus, vt bellum Africum aggrederetur; & illam Mauritaniæ partem, quæ freto Herculeo incumbit, vbi breuissimus ex Africa in Hispaniam traiectus est, infestis armis inuaderet; igitur Alphonsus validis comparatis classibus, non semel in Africam transmisit; munitissimasque vrbes Tingim, Arzillam, & Alcacerem Ceguerium, ingenti Lusitani nominis gloria, expugnauit, & impositis militum præsidijs muniuit, vt inde armorum terrorem per finitimas barbarorum Prouincias circumferret; *Africani* propterea cognomentum adeptus.

Emman. Seuer. de Faria §. 11.

Dum Georgius Antistitem gereret Eborensem, Alphonsi Regis mandato, Heracleam petijt (*Gibraltar*, vulgò appellant) quæ Gaditano freto imposita, angustis eiusdem maris faucibus nomen dedit; in quam Henricus IV. Rex Castellæ, & Alphonsus Lusitaniæ, conuenire decreuerant, vt pacis ibi fœdus inirent, & publicæ tranquillitati consulerent. Iustis conditionibus Pax vtrim-

que coaluit anno M. CCCCLXIV. quam ſolemni iureiurando Reges firmarunt.

Aliam in Caſtella Legationem obijſſe Georgium narrat Emmanuel Seuerinus de Faria, diligentiſſimus Antiquitatum indagator: De ineundo quippe matrimonio inter Alphonſum Luſitaniæ Regem, & Eliſabetham Henrici Regis Sororem, quæ poſtea Ferdinando Aragonio nupſit, & *Catholicæ* cognomen adamauit, seriò agitauit. Henrico item perſuadere conatus eſt, vt Ioannam filiam, Caſtellæ Principem, Principi Luſitaniæ Ioanni nuptijs locaret. Proſperum Georgij induſtriâ curſum res tenere videbantur; ſed grauibus exortis difficultatibus, & nonnullorum Procerum potentiâ Aragonio fauentium, ab inſtituto, vel potius penè confecto negotio, Legatus deſiſtere coactus eſt. Mariana, & Zurita, huiuſmodi Legatione defunctum memorant Alphonſum Noguériam, Vlyſipponis Antiſtitem; quorum ſententiam amplectitur Auberyus in Hiſtoria Cardinalium Gallico ſermone conſcripta; quæ nos diligentiùs examinare non poſſumus, idoneis in rem libris deſtituti.

Idem Scriptor.

Mariana de rebus Hiſp. lib. 20. c. 13.
Zurita de reb. Arag. lib. 8. cap. 20.
Aubery p. 2. page 463.

Anno M. CCCCLXXVI. Decembris die 18. Sixtus IV. vt Alphonſo Luſitaniæ Regi morem gereret, Georgium renuntiauit S. R. E. Cardinalem in 3. creatione, titulo SS. Martyrum Marcellini & Petri. Decurrente tempore, optauit titulum S. Mariæ trans Tiberim; Baſilicæ item S. Laurentij in

Panuinius in Sixto IV.
Ciaconius.
Felix Contelor. in Elenc. Cardin. p. 2. ſub Sixto.

Vghellus tom. 1. Ital. S. sub Episc. Alban. Donius d'Attichy, Episc. in Flor. Card. t. 2. anno 1417. n. 32. Aubery iam citatus.

Lucina Commendatarius fuit. Sacræ Purpuræ honorem, & acceptæ dignitatis insignia, festa Lusitani Regni gratulatio consecuta est.

Eduard. Nun. à Leone in Geneal. Reg. Lusit. sub Alphonso V. Osorius lib. 1. de rebus. Emman. Reg. p. 16. Acunha. Chron. Ioannis II. Reg. cap. 18.

Nimia apud Regem Alphonsum Georgij authoritas grauiter offenderat Ioannem Principem, Regni heredem; tum collatus insuper purpuræ honos, nouum irarum irritamentum fuit, eo nomine, quod dignitate addita, cresceret Cardinalis fastus, & ambitio dominandi. Itaque conqueri inter familiares solitus; quasi vnius Georgij arbitrio, ceu cardine, cuncta verterentur; nec quicquam domi, forisve ageretur, nisi illo arbitro, & authore: ex quo fieret vt abusus gratiâ Regis, commoda publica priuatis rationibus postponeret. Erat Ioannes excelsa indole Princeps, acri iudicio, & militari peritia clarus: quique inito regno, integra semper authoritate regnauit, Aulici nullius gratiam suprà dignitatem suam passus: dictitare solitus: *A regia Majestate alienum, Aulicum habere, à quo regatur*: Ac proinde iam tum priuatæ fortunæ Princeps Georgio infensus, quòd nimia apud Alphonsum gratia polleret, & publicis se negotijs implicaret. Ergò Georgius, vt erat inprimis cautus, in Ioannis gratiam insinuare sese, & idoneis rationibus flectere; & omni officiorum genere certare, vt eiusdem beneuolentiam colligeret, vel saltem irati Principis animum deliniret. Satis tamen apparuit Georgij odium altiùs in eius pectus descendisse,

quàm vt auelli, aut mitigari vlla ratione posset. Itaque nec in præsentia satis sibi tutus esse videbatur, & procedente die, graue aliquod malum, si maneret in Lusitania, Ioanne iam regnante, sibi imminere præuidebat. Idcircò tempestiuè se periculo subducere; & in aliam Prouinciam se recipere decreuit. Et quidem res per eos dies euenit, quæ fugiendi consilium iamdudum mente conceptum maturauit.

Almeirinum propè (nobile id oppidum est in altera Tagi ripa densis nemoribus cinctum, quò Lusitani Reges, vigente præsertim hyeme, secedere consueuerant, venationis ferarum causâ, quibus saltus illi abundant) inambulabat cùm Ioanne Principe Georgius Cardinalis & familiaribus inter se colloquijs tempus fallentes ad pontem vsque procurrerunt fluuiolo *Alpiarsa* dicto impositum, qui tum forte continuatis per dies plures imbribus, intumuerat, & magna aquarum mole voluebatur. Hic Ioannes vehementiùs solito commotus, irato similis: *Quî non liceat*, inquit, *Cardinalem quemdam gratiâ Regis abutentem in profundum fluminis alueum è sublimi ponte deijcere; & spargere in vulgus famam; eum casu, fallente vestigio in fluuium corruisse præcipitem? Exhorruit ad* hæc Cardinalis perindè ac iam se de ponte deiectum videret. Cæterùm sedatus paulò pòst Principis animus, terroris illud magis, quàm periculi dictum, præse tulisse significauit. At Georgius, vt se à timore col-

Acunha Hist. Brach p.2.c. 64. & 65.
Vasconcell. Anacephal.
Ioannis II. Reg. Lusit.
Alij scriptores Lusit.

legit, non vanas eſſe minas ſuſpicatus, domum reuerſus, nulla interpoſitâ morâ, fugâ ſibi conſulere, & relictâ quamprimùm Luſitaniâ, Romam, certam ac propriam Cardinalium Sedem, petere decreuit. Ne tamen Cardinalitiæ dignitati dedecoris notam inurere videretur, ſi fugientis ſpeciem ſubitâ & inopinatâ profectione præberet, prudenti rumore vulgauit ſe Rom. Pontificis mandato, & Alphonſi Regis imperio, Romam pergere, vt ibi quæ è re Luſitana forent, procuraret. In hunc ferè modum integro dignitatis honore, itineri ſe commiſit, magno nobilium numero, & ſplendido famulorum comitatu. Vrbem ingreſſus à Sixto P. P. honorificè exceptus eſt, qui multa de Georgij prudentia, & probitate inaudierat: cupiebatque præſentem cernere, quem propter excellentes animi dotes amabat abſentem. Ad grauiſſimarum confeſtim rerum conſultationes admiſſus, omnium expectationem ſuperauit; tam ſe in expediendis ſummi momenti negotiis verſatum, ac ſolertem præſtitit. Prætereà, vt erat ingenio, & induſtrio, & facili, breuì ad mores ſe Sixti ità accommodauit, vt ſummum apud eum gratiæ & authoritatis locum ſibi parauerit: quem in lubrico Aulæ gradu ad caſum prono, conſtanter retinuit, exquiſitæ prudentiæ argumento.

Hiſt. Equit. Ioannit. Bonfinius.

A Rhodi nuper obſidione receſſerat, graui accepta clade, & ignominia repulſus Baſſa Meſites,

Mahumetis, Magni Turcarum Imperatoris Dux: at expugnata in Salentinis Hydrunte, Baſſa Achmes, in omnia Chriſtianorum capita ſine diſcrimine ſæuierat, & Italiam terrore compleuerat, & mare claſſibus infeſtum reddiderat. In his rerum articulis Georgius Alphonſum & Ioannem Principes Luſitanos, per litteras admonuit, vt afflictis Italiæ rebus opem in tempore ferre vellent: Nullibi Luſitanorum operam meliùs collocari poſſe: nullum bellicæ virtutis explicandæ theatrum nobilius ſpectari, quàm vbi cum Turca hoſte pro aris, locíſque ſacris ſtudio bellandi agebatur. Iis admotis veluti calcaribus ad mittendum auxilium, incitati Alphonſus & Ioannes inſequenti anno, qui fuit à partu Virginis M. CCCCLXXXI. validam claſſem epibatis, & omni militari apparatu inſtructam, Pontifici ſuppetias miſerunt. Claſſi ſupremâ cum poteſtate præerat Garcia Meneſius, Epiſcopus Eborenſis, belli, pacíſque artibus clarus. Is Romam delatus in Sacro Cardinalium Senatu, præſente P. P. Luſitanorum Regum ergà Rom. Eccleſiam, & Chriſti Vicarios obſequium graui, & luculenta oratione expoſuit; quod miſſâ opportunè in Italiam claſſe, poſteris teſtatum eſſe volebant. Tantam dicendo Meneſius admirationem commouit, vt ambiguum reliquerit, Oratorijs, an Imperatorijs virtutibus præſtaret? Gratijs à Sixto Luſitaniæ Regibus perquàm officioſè perſolutis,

Sabellicus. Spondan. an. 14 8. Iouin. in Elog. Mahum. Chesne in Sixto IV. Donius tom. 2. Flor. Card. in Vita Petr. Aubuſſonij. Frizon in Gall. Purpur.

Chron. Alphonſi V. Acunha cit. c. 64. n. 12. Anton. Souſa Macedo in pref. Luſit. liber. Fr. Franciſc. Macedo in Propugnac. parte 1.

& illorum pietate verbis amplissimis collaudatâ, ab Vrbe discessit Menesius, conscensisque nauibus, libero vagabatur mari; neque inuenta hostium classe, cum qua pugnaret; soluta iam metu Italia, Mahumetis morte, quæ in hunc annum incidit, & frænata Turcarum audaciâ, idoneam nactus tempestatem, Vlysipponem secundo nauigationis cursu rediјt.

Annales Turc. Cuspinianus. Nauclerus. Spond. ad hunc an.

Graue per id tempus bellum Venetos inter & Herculem Ferrariæ ducem vigebat, quod vniuersam ferè Italiam traxerat in partes. Totam belli molem in Ficarolum, & Ferrariam Veneti conuerterant, quam inuicta virtute, & militari scientiâ Hercules sustinebat; Sixtus P.P. belli tandem incommoda pertæsus, & studio pacis inflammatus, vt tanti belli incendium extingueret, Georgium Cardinalem ad illos Principes legauit: qui diu, multumque de sancienda inter vtramque partem concordia, exiguo sanè operæ fructu, agitauit. Fortunatior Legatus haberetur, si Legationis exitus præclaris initijs respondisset.

Iouius in Leone X. lib. 1. Ciacon. in Iulio II. Chesne in Sixto IV.

Vghellus tom. 1. Ital. S. in Georgio Episc. Port.

Anno 1481.

Defuncto Rege Lusitaniæ Alphonso V. Ioannes hoc nomine II. eius filius, Regni habenas moderandas suscepit; ac primùm depositis simultatibus, quæ ipsum inter & Georgium in priuata olim fortuna intercesserant, regios induit spiritus, & mores clementiæ plenos. Egregia huiusce beneuolentiæ documenta præbuit, designato Georgio, Archiepiscopo Bracharensi, & Hispaniarum

niarum Primate; quàm Innocentius VIII. demortui Sixti successor, dignitatem Apostolico diplomate confirmauit. *Anno 1484.*

Sub initium Pontificatus è Lusitania Romam venit Petrus Noronia, magnus Iacobitarum Equitum Commendatarius, & Regiæ Aulæ Præfectus honestissima cum legatione à Ioanne Rege missus: Permulti Lusitani Equites è nobilitatis flore collecti, & peregrina vestium opulentia ad elegantiam compositi, quò maior legationi splendor, & maiestas accederet, legatum comitabantur. Inter cæteros eminebat Vascus Fernandius, Senatoria dignitate grauis; & Rodericus de Pina, non vulgaris eruditionis Historicus, qui Lusitanorum Regum gesta, materna linguâ, Annalibus mandauit. Ioannis nomine publicam rerum administrationem auspicantis, Innocentium salutarunt, & solemne obedientiæ obsequium detulerunt; multisque Georgij operâ, impetratis à P.P. priuilegijs, in Lusitaniam remearunt. *Resend. in Chron. Ioan. cap. 57.* *Acunha cit. c. 65. n. 2.*

Breui interiecto tempore Innocentius fato concessit, non sine graui Christianæ Reipubl. dolore, ac desiderio. Igitur Cardinales nouemdialibus defuncto ritè persolutis, ad Comitia conuenerunt, ac distractis in duas factiones studijs, & sententijs dissidebant, & ne altera ab altera suffragiorum numero vincerentur, certabant, tempusque trahebant; Alij Roderico Bor- *Anno 1492.* *Faria de Card. Lus. §. 11.*

Dd

Acunha c. 65. n. 3.

giæ Cardinali Valentino; Georgio da Costa, Lusitano Cardinali studebant alij; hæseruntque in dies plures dilata Comitia. Donec, repentino veluti spiritu diuinitùs afflati, Cardinalem Borgiam, Pontificem crearunt; qui desumpto augusto Alexandri VI. nomine, Pontificatum adijt, meliori initio, quàm exitu. Georgius certè parùm abfuit à summo Pontificatus apice obtinendo; sed alij superi destinarant, quorum ille voluntati piè, ac religiosè est obsecutus.

Anno 1492.

Anno 1495. Osor. de reb. Emman. Annal. Lusitan. Ioann. Barrius dec. 1. Maffeius Rer. Indic. l. 1. Fr. Francisc. Macedo in Propugn. p. 1. pag. 182. Damian. de Goes, in Chron. Emman. p. 1. cap. 17.

Interim Ioannes Rex Lusitaniæ, in viuis esse desijt, nullis ex legitimo matrimonio relictis liberis (Alphonsus quippè vnicus ex vxore Eleonora filius, in ipso adolescentiæ flore, Scalabi propè Tagum ex equo ad cursum incitato deiectus infeliciter obierat) Regni heredem instituit Emmanuelem, Ducem Pacis Iuliæ, *Beijam* vulgò dicunt, in Prouincia Transtagana vrbem, qui ipsi frater patruelis erat: is cuius posteà auspicijs explorata ad ortum solis India fuit, ingenti Lusitanorum ausu, ac felicitate, & cùm imperio simul in terras vltimas religio propagata. Vbi primum Emmanuel regnare cœpit, nihil antiquius duxit, quàm Georgium Cardinalem, cuius prudentiam in administranda republica perspectam habebat, in patriam reuocare. Iteratis in id litteris institit. Verum pijssimo Regi morem gerere per tempus non licuit Georgio annis iam graui, & Pontificis mandatis, qui eiusdem opera & consi-

lio indigebat, in vrbe detento. Emmãuelis tamen Legatum egit apud Alexandrum; perfecitque vt Mathematica linea diuiſo Luſitanos inter & Caſtellanos orbe, exortæ inter vtramque gentem diſcordiæ tollerentur: itaut quælibet aſſignata ſibi per Alexandrum parte contenta, in alterius ditionem arma non inferret; neque aduerſis claſſibus maria iam ſepoſita turbaret. Facta tamen Luſitanis, ob iuris antiquitatem, optione. Religioſis item ordinum Equeſtrium militibus (exceptis Hoſpitalaribus) indulſit Pontifex, vt ſolemni caſtitatis voto, in coniugalem mutato, vxores ducere liceret; quò militarem licentiam ac libidinem iuſtis nuptijs cohiberent.

Souſa de Faria. epit. Hiſt. Luſit. p. 3. c. 15. Vaſconcellius perperam id tribuit Leoni X.

Extremum diem clauſit Alexander, nomine, quàm rebus clarior, anno MDIII. neque ſolidum menſem Pius III. mortuo ſuffectus, vixit. Iulius igitur II. Sixti IV. nepos, ſummis viribus adnitente Georgio, Pontifex declaratur: cui de more ad oſculum accedenti, accepti beneficij memor dixiſſe fertur: *Ego dignitate; officio tu Pontifex eris:* Dicta Iulius factis impleuit; nam quæcumque è re publica, & Chriſtiana forent, Georgij potiſſimùm arbitrio committebat; in partemque curarum vocabat in arduis, quæ illi inciderunt, rebus componendis: Tantam de Georgij prudentia, & fide opinionem conceperat.

Anno 1503.

Acunha c. 65. n. 6.

Itaque Pontifices quinque, vitâ in longum protractâ, Georgius aſſecutus eſt: Sixtum IV. In-

nocentium VIII. Alexandrum VI. Pium III. Iulium II. qui cùm moribus, atque ingenijs essent inter se valdè dissimiles, Georgium sibi quisque simillimum expertus, coluit, & amauit. Sixtus in Sacrum Cardinalium senatum cooptauit anno M. CCCCLXXVI. Innocentius Episcopum Albanum instituit anno M. CCCCLXXXXI. Alexander, Episcopum Tusculanum anno MDI. & anno MDIII. Episcopum Portuensem & S. Rufinæ. Acunha deceptus est, qui Georgium, Episcopum Ostiensem nuncupauit.

Donius d'Atticby tom. 2. in Petro Card. Tuxens. Felix Contelor. elenchi p. 2. sub Sixto IV. Ciacon. in Iulio II. Panuin. in Catal. Episcop. Alban. Tuscul. & Portuens. Aubery p. 2. pag. 461. Acunha citat. n. 1. c. 66. Vvading. in Annal. Min. tom. 7. an. 1455 n. 14. Spondan. anno 1495. n. 14. Bzouius ad an. 1502.

Minoritarum Protectoris, sedente Alexandro, onus sustinuit, quamdiu Iulianus Rouereus, Cardinalis, proprer graues cum eodem Pontifice simultates, tempori, ac fortunæ cedens, in Galliam moram traxit. Cúmque per eos dies, Prædicatores inter & Minoritas de immaculata Virginis Conceptione controuersia vehementiùs exarsisset, Oliuerius Cardinalis Caraffa, Prædicatorum Protector, & Georgius Minoritarum Proprotector, edito Alexandri mandato, decreto Sixti IV. constitutionem confirmarunt; quâ sancitur: Ne pars altera alteri hæreseos, aut temeritatis notam inurere audeat.

Acunha c. 66. n. 1. Seuerin de Faria §. 11. Donius d'Atticby.

Alias præterea, atque alias dignitates Georgius obtinuit, nempè decanatus Bracharensem, Vlysipponensem, Portucalensem, Lamacensem, Egitanensem, & Visensem in Lusitania. In Algarbijs Syluensem; Burgensem in Castella Veteri. Est

ea Decani dignitas inter Lusitanos infra Episcopalem maxima. Sex suprà viginti Abbatias habuit, quarum nonnullæ pinguissimis prouentibus erant instructæ. Archiep. gessit Vlysip. & Bracharensem: Episcopum Eborensem, Visensem, & Portucalensem; & in Africa, ad fretum Herculeum, Septensem. Ferebant hunc tum tempora morem; quem iamdudum viri religione conspicui meritò damnauerant in Absalone, qui primus Lundensem in Dania Archiepiscopatum, & Roschildensem in Zelandia Insula Episcopatum simul administrauit: & in Conrado de Vvitelsbach Germano, qui tribus simul Ecclesijs præfuit, Moguntinæ & Salztburgensi in Germania, Sabinensique propè Vrbem, in Italia. Nullis posteà terminis circunscribi potuit multorum ambitio Episcoporum, quorum explendæ libidini vix plurimæ, & opulentæ Ecclesiæ suffecerunt. Vnum Ioannem de Lotharingia, excelsæ indolis Principem, Renati Hierosolymæ ac Siciliæ Regis, Ducisque Lotharingiæ & Calabriæ, ex Philippa Gueldrica filium; nouem Ecclesiarum moles onerauit, Tullensis, Morinensis, Narbonensis, Virdunensis, Lucionensis, Valentinæ, Rhemensis, Lugdunensis, Albiensis, quarum oneri sustinendo impar, tres opulentiores retinuit, reliquas demisit. Ad hæc Cardinalis creatus à Leone X. anno MDXVIII. Hunc inualescentem indies abusum Concilij Tridentini Patres diuino spiritu afflati,

Panuinius. Ciaconius in Alexandro III.

Serar. de Reb. Mogunt. in Conrado de Vvitelsb.

Frizon. in Gall. Purpur. lib. 4. pag. 367.
Donius, in Florib. Cardin. anno 1163. pag. 199.
Contelor. in Elencho p. 2. sub Leone X.
Petr. à S. Romualdo tom. 3. Thes. Chronol. & Hist. anno 15 2.
Sammarthani Fratres in Gall. Christiana.
Claud. Robertus.
Concil. Trid. ss. 7. c. 2.

ſeueris admodùm decretis ab Eccleſia Romana proſcriptum voluerunt. Conſtat Georgium Cardinalem tot dignitatibus, & reditibus auctum, ornatumque, nobilium famulatu, Aulæ ſplendore, & donorum largitione magnos Principes adæquaſſe. Sui tamen officij, & Chriſtianæ pietatis memor, maiori ex parte reditus, in ornandis templis, & pauperibus alendis conſumebat.

Qui ipſum iure ſanguinis contingebant eos ad ſummam dignitatum lucem, faſtigiumque prouexit. Sorores duas clariſſimis in Luſitania Dynaſtis matrimonio collocauit. Binos fratres habuit Georgium da Coſta, Archiepiſcopum Bracharenſem, & Cardinalitiæ Purpuræ in vrbe candidatum; & Martinum da Coſta, Vlyſipponenſem Archipræſulem. Binos item nepotes doctrina, & religione præſtantes, Iacobum & Petrum Coſtas, Epiſcopos Portucalenſes. Petrus Eliſabethæ Auguſtæ Caroli V. coniugis, maior Capellanus fuit: procedente die, Eccleſiæ Legionenſis; mox Oſmenſis creatus Epiſcopus: Obijtque probitatis fama celebris. Alijs prætereà viris illuſtribus Coſtarum familia inclaruit. Quapropter Petrus da Coſta, de quo proximè meminimus, appoſitè in altera Gentilitij Symboli parte iuſſit effingi *Rotam*, multis diſtinctam radijs, & ferreis clauis armatam, hac Epigraphe Hiſpanica:

Iacob. de Alberico in Comp. Hiſt. S. Maria de Populo, in Epitaphijs.
Acunha.
Seuer. de Faria.
Pontius in vita Petri Coſta Epiſc. Oſma.
Gill. Gonçal. d'Auila in Theatro Oſmal. 4. c. 3.
Fr. Athanaſ. de Lobeira de Magnit. Legion. p. 255.

Si esta rueda Ezechiel viera
Consu prosapia remota,
Y su valor conoriera,
Mui cierto estáque dixera
Spiritus vitæ erat in rota.

D. Acunha c. 67. n. 11. & in Catal. Episc. Portucal. p. 2. cap. 34.
Abbas Iongelin: in Purp. D. Bernardi.
Ezech. cap. 1. n. 20.
Costa familia Symbolum: Costa argentea sex loco trium fasciolarum distributa; in parmula conchyliata.

Idest:

Hanc si prospiceret prole volubilem
Antiquâ sapiens Ezechiel rotam,
Virtutisque decus nosceret insitæ,
Plenus sidereo numine diceret,
Vitalis residet spiritus in rota.

In altera senas ex argento Costas posuit Costarum Gentis insignia, huiuscemodi lemmate:

Si Adan viera las costillas
Deste escudo que aquiueris,
Y sus grandes marauillas,
Dixera por mas subillas
Hor os ex ossibus meis.

Genes. c. 2. n. 23.

Hocest:

Si Clypei costas, quem cernitis Author Adamus
Cerneret, & scuti stemmata mira mei.
Vt magis efferret, superisq; immitteret Astris
Diceret: Hæc sunt ex ossibus ossa meis.

Porrò Georgius in Symbolum sibi desumpsit D. Catharinæ Virgin. & M. Rotam, vt se memorem, gratumque præstaret in Serenissimam Principem Catharinam, Eduardi Regis filiam, cuius maximè auspicijs, patrocinioque ad Summarum

Acunha in Hist. Brach. cap. 66. n. 3. & in Catal. Episcop. Portucal p. 2. c. 34. in fine.
Aubery p. 2. pag. 761.
Seuer. de Faria §. 11.
Iongelinus Abbas.

dignitatum faſtigium conſcenderat. Id pulchrè refert Lychnus ex argento penſilis, priſci operis, quo dum gereret Epiſcopum Eborenſem, Principem Vrbis Baſilicam adornauit. Extat numiſma ab Emmanuele Seuerino de Faria, viro admodùm erudito, inter alia antiquitatis monumenta ſeruatum; in quo videre eſt Georgij effigiem ad viuum expreſſam, inciſis circùm litteris: *Georgius Cardinalis Portugallenſis* : & Theologiam habitu, & cultu Virginis, quæ ſiniſtrâ præfert librum, & digito in cælum intento, alta deſignat. Nonnulli Scriptores externi D. Catharinæ *Rotam* religionis causâ, inſigne à Georgio Cardinali acceptam ferunt : Cognomen verò *Coſta* ab Inſulæ Cypri Rege Coſta Catharinæ Virginis parente, mutuatum. Id poſterius ridiculum ſanè, & commentitium ducimus : prius verò, idonea nixum ratione credimus. Catharinam quippe Virginem & M. à teneris pueritiæ annis Diuam ſibi tutelarem Georgius delegit, eamdemque ad extremum vitæ ſpiritum præcipuâ religione coluit. Atque vt poſteris manifeſtiùs de ſua in Catharinam pietate conſtaret, elegantis ſtructuræ ſacellum Romæ, ad S. Mariæ de Populo, eiuſdem nomini Sacrum, fabricari curauit, in quo viuens monumentum ſibi poſuit.

Aubery p. 2. an. 1473. Vghell. in Epiſc. Tuſcul. Ludou. Contaren. pag. 2 4. Luſign. in Hiſt. Cypr. c. 20. Iongelinus. Seuer. de Faria §. 11. Acunha. Landucc. in Orig. Templi S. Mariæ de Populo. giorn. 5 pag. 130.

Eſt illud Auguſtinianorum Eremitarum Cœnobium ad portam Vrbis Flaminiam, Sixti IV. P. P. Max. ſumptu, & munificentia conditum, cuius

cuius Basilicam Sanctissimus D. D. Alexander VII. singulari in Deiparam studio ductus, ad summam amplitudinem euexit nouâ quadam formâ facieque inductâ, ornatu inprimis eleganti, ac pretioso; Sanctarum Virginum statuis albario opere per fornicum, ac testudinum ordines dispositis; Sacellis in vtraque templi ala vel ornatis, vel instauratis & ad vberiorem lucem accipiendam fenestris latiùs apertis. Pauimento ad argumenta insignium Gentis Chisiæ pulcherrimè variegato. Quà verò Sacratior templi pars excursu liberiori ad Aram Maximam in duo brachia porrigitur, Organa ad Musicos concentus pendentia Angeli expansis mirabili arte alis volantium speciem referentes excipiunt, quæ insititiæ armis Chisiæ Domus quercus in aureos diffusæ ramos obumbrant. Toto sic instructo, & ornato templo, vt cum structura splendor, cum maiestate religio de primatu contendere videatur. Quæ in Georgij decus, & ornamentum cesserunt: illo quippe in templo conditus omnium oculis eò religionis causâ adeuntium obuersatur.

Ædes ad S. Laurentij in Lucina, dum ageret huius Basilicæ Commendatarium, amplificari ornarique præcepit, quas aliorum Cardinalium Calendrini, Morinensis, Cibi, Innocentij posteà VIII. curæ aliò auocatæ inchoatas, imperfectasque reliquerant. Vnde & vicinus Ædibus

Alexand. Donat. S. I. De Vrbe Roma l. 4. c. 9. fol. 367.

Arcus, quem Drusi fuisse existimant Antiquarij peritissimi, Flaminiæ Viæ impositus, Portugalliæ nomen traxit. Hospitalem in Vrbe à S. Antonio Gentis Lusitanæ Domum, in Campo Martio, annuis prouentibus dotauit. Vlysippone, Regia Lusitaniæ vrbe, magnifici operis Sacellum, in Templo S. Eligij, ad Summam Arcem (*Castellum* dicunt) Assumptæ in Cælum Virgini dicauit. Prætereo alia minoris momenti opera, ne longiùs quàm par est, scriptio excurrat.

Tabular. S. Antonij Nation. Lusit. in vrbe.

Acunha ad fin. Hist. Eccl. Brach. cap. 108.

Extremum diem clausit senectute magis, quàm morbo confectus XIX. Septembris, anno M. DVIII. Iulio II. P.P. Max. Imper. Maximiliano. Emmanuele Rege Lusitaniæ: duos supra centum annos vixit. Illatum est eius cadauer in magnifici operis sepulchrum, quod sibi erigi iussit, edito ad spectaculum loco, in D. Catharinæ Sacello ad S. Mariæ de Populo. Iacet Georgij Cardinalis statua marmorea affabre, facta, Pontificali habitu eleganter expresso, huiuscemodi Epitaphio.

Auberyus. Felix Contelor. Vghellus. Landuccius. Iacob. de Albericis.

Georgius Episcopus Albanensis
Cardinalis Vlixbonensis
Dum se mortalem animo voluit: viuens
Posuit.

Altera ad dexteram Sacelli partem inscriptio visitur.

Georgius Cardinalis Portugallensis
Hanc Capellam D. Catharinæ dicauit, dotemque dedit.
Alia etiam bona ob suam in Virginem singularem

deuotionem, huic Monasterio religiosè contulit.
Anno Domini M.CCCCLXXXIX.

Alteram, Aræ facies S.S Catharinæ, Vincentio, & Antonio de Padua dicatæ, his expressam verbis præfert.

Georgius Episcopus S. R. E. Cardinalis Portugallensis.
ob maximam erga hos Sanctos deuotionem,
Posuit.

Subiecta demum Sepulchro, è candido marmore tabella, huiusmodi Epitaphio maioribus litteris inciso, Georgij Cardinalis Acta, & virtutes complectitur.

Georgius Lusitanus Episcopus Portuensis.
S. R. E. Cardinalis Vlixbonensis:
virtutis, doctrinæque ergò in Regiam adscitus;
ac multis domi, forisque præclaris facinoribus editis,
ad Regni procurationem prouectus:
A Sixto IV. in Senatum adlectus, Romamque accitus,
Magnam ingenij, pietatis, prudentiæque laudem adeptus.
Sub Iulio II. P. P. Max.
Quem vnice dilexit, ac obseruauit,
Annum agens secundum suprà centesimum,
Obijt.
Anno M.DVIII.

Non pauci scriptores externi de Georgio Cardinali cum laude meminerunt. Panuinius & Ciaconius in Sixto IV. & Iulio II. Auberyus in Hist. Gener. Cardin. p. 2. p. 461. Iongelinus, in Purpura D. Bernardi. Garimbert. l. 4. pag. 336. Vghel-

lus tom. 1. Italiæ Sacræ in Episcop. Alban. Tusculan. & Portuensibus. Vvading. tom VII. Annal. Minor. Anno 1495. n 14. Bzouius anno 1502. Alexander Donatus S. I. de vrbe Roma lib. 4. c. 9. pag. 367. Fr. Ambrosius Landucci, in Origine Templi S. Mariæ de Populo, giorn. 5. pag. 130. Barnabas Montaluo, Fr. Bartholom. Pontius, in vita Petri da Costa, Episcopi Osmenf. Gillius Gonçalez de Auila, in Theatro Osmæ, lib. 4. c. 3. Fr. Thomas de Lobeira, de Magnitudine Legionis, Ludouicus d'Attichy, Episcopus Æduensis, res à Georgio gestas, & annos, quos vixit accuratè describit in vita Cardinalis Petri de Fuxo, tom. 2. Flor. S. R. E. Cardinal. Anno 1417. Iacobus de Albericis, in Compend. Histor. S. Mariæ de Populo, pag. 16. Hippolyt. Marraccius in Purpura Mariana.

Superuacaneum ducimus scriptores Lusitanos recensere; consulat qui velit Acunham in Hist. Brachar. p. 2. cap. 65. Emmanuel. Seuer. de Faria, de Cardin. Lusit. §. 11. & ijs antiquiorem Osorium de Rebus Emmanuelis lib. 1. pag. 16. Annales item Alphonsi V. Ioannis II. & Emmanuelis Regum Lusitanorum.

ALPHONSVS INFANS LVSITANIÆ.

Leone X. PP.

ARCHIEPISCOPVS VLYSIPPONENSIS.

Anno 1517.

Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septisolio.

ALPHONSVS Emmanuele Rege, & Maria, Ferdinandi & Elisabethæ Regum Catholicorum filiâ natus, Eboræ, quæ ciuitas est Prouinciæ Transtaganæ primaria, 23. Aprilis, anno M. DIX. Vix octo ætatis annos attigerat, cùm maturius, quàm per leges liceret, à Leone X. P. P. creatus est Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septisolio, Kalend. Iulijs, anno M. DXVIII. inaudito hactenus exemplo, inquit Auberyus; cæterum 20. ferè pòst annis Clemens VII. Emmanuelem Philibertum, Caroli III. Allobrogum Ducis, & Beatricis Alphonsi Sororis filium, triennem in Sacrum Patrum Senatum adscripsit, anno M. DXXX. die XXIV. Martij, si fidem habemus Contelorio, Archiuij Vaticani Præfecto, & Ioanni Tonso, qui vitam Philiberti conscripsit. Triginta alij, habito ex omni propè natione delectu, eâdem, qua Al-

Chron. Emman. Reg. Lus. Seuer. de Faria §. 12. Ciacon. in Leone X. Panuinius. Auberyus p. 5. Iongelin. Ab Disenb. in Purpura D. Bern. pag. 49. & 50.

Contelor. p. 2. Elenchi sub Clemente VII. Ioan. Tonso; de vita Philibert. l. 1. pag. 9.

Paulus Iou. in Vita Leonis.

phonſus die, Romæ Cardinales creati. Quæ res Populum Rom. atque vniuerſum orbem Catholicum ingenti gaudio cumulauit, cùm ad omnes mundi partes delatum purpuræ decus, & iuſta lætandi, ac gratulandi ratio pertineret.

Arius Barboſa. Ioan. Franc. Barretus in Bibliot. Luſitan. Abbas Iuſtinian. in ſua Bibliotb. Damian. à Goeſ. in Chron. Emmanuel Reg. p. 2. c. 42.

Amæniorum litterarum ſtudijs pueritiam Alphonſus excoluit, Ario Barboſa, clari nominis ea tempeſtate Magiſtro vſus, grauioribus poſteà diſciplinis eruditus. Ioannis, hoc nomine III. Regis Luſitaniæ, ipſius fratris conſilijs frequenter intererat: & in ferendis ad publicam vtilitatem ſuffragijs, cùm Regni de rebus conſultationes fiebant, in prætenera ætate ſenilem quamdam maturitatem præſeferebat. Eccleſiaſtico ordini adſcriptus, Sacram quamdam viuendi rationem inſtituit, & mores induit ſanctimoniæ plenos. Mox honores alij, atque alij ad eum ornandum confluxerunt; maior ijs viſus eſt; augeri eos oportuit vt pares eſſent, & ſaltem numero infantis magnitudini reſponderent.

Targitani primum Epiſcopi titulum habuit; mox Viſenſis Epiſcopus declaratus: Vlyſipponenſis poſteà Archiepiſcopus inſtitutus eſt. Poſtremum Eccleſiæ Eborenſis perpetuus fuit Adminiſtrator. Abbatiæ item Alcobatienſi ampliſſimis vectigalibus inſtructæ, quæ nonniſi Regij ſanguinis Principibus conferri ſolet, præpoſitus.

Contelorius.

Felix Contelorius Epiſcopum Equinatenſem fuiſſe ſcribit: cuius certè Eccleſiæ notitiam aſſequi

non potuimus: de qua neque externi ſcriptores neque noſtrates meminerunt: & qui ſingulas Alphonſi dignitates accuratè recenſent, illam ſilentio inuoluunt. Hunc in orbe Catholico Epiſcopatum non exiſtere, ex ortographia Sacra, vetuſta, nouaque, certum redditur. Titulum S. Luciæ in Septiſolio, procedente tempore, mutauit in S. Blaſij.

Ciaconius. Seuerinus. Sammarthani Fr. Contelorius.

Mirabili quodam nexu & concurſu virtutum Principis magnificentiam cum Pontificis pietate coniunxit. Moribus fuit caſtiſſimis: æquitatis & iuſtitiæ amantiſſimus: perpetuà in oues ſibi commiſſas vigilantiâ & Paſtoris affectu, melioris ſeculi, & antiquæ probitatis Epiſcopum referebat. Tam effuſæ in pauperes liberalitatis, vt *Pater pauperum* vulgò diceretur. Argenteam & ſericam ſupellectilem Sacris Baſilicis, & Altaribus veſtiendis munificè donabat: adeóque ijs ornandis erat intentus, vt omnes in eo curas cogitationeſque conſumere videretur. Horarum penſum ſummo pietatis ſenſu perſoluebat; & cætera obibat religionis officia. Singulari Deiparam ſtudio coluit; atque in eius patrocinium, ab ineunte ætate, ſe receperat. Dum gereret Archiepiſcopum Vlyſippon. decreuit, vt hæc Eccleſia Romano precandi Ritu vteretur, antiquato Sariſburienſis in Anglia Eccleſiæ, quem tradiderat Gilbertus primus, Vlyſipponis Antiſtes, poſtquam ab Alphonſo I. Luſitanici Regni Authore, armis expugnata fuit

Acunha, in Hiſtor. Eccl. Vlyſipp. p. 2. c. 2. n. 5.

Anno Salutis Humanæ M. CLXVII.

Eduard. Nun. à Leone in Elogio Alphonsi. Seuerinus. Emman. de Faria Sousa in Epit. Hist. Lusit. parte 3. c. 15.

Ordinarij sæpè Sacerdotis & Parochi munia per vrbes exercere, infantes lustrali aqua abluere, infirmos inuisere, grauiter ægrotantes delato proprijs manibus sacro pabulo reficere, mœrentes diuinis verbis recreare, pauperes subsidijs ad vitam necessarijs instruere consueuit. Quibus certè Christianæ caritatis documentis, omnium sibi ordinum amorem conciliauit, & admirationem commouit eò magis, quò illustriora reddebantur à regij sanguinis claritate.

Ioan. Franc. Barr. in M. SS. not.

Primus in Lusitania instituit, vt pueri singulis diebus, sacra catechesi in templis, destinatis ad id horis, erudirentur: cùm sibi persuaderet multum ad publicam vtilitatem conferre, à teneris pueritiæ annis Catholicæ doctrinæ præceptionibus informari: nam quò tenerior est ætas, eò faciliùs tradita recipit; & altiùs impressa retinet. Qui deindè mos per vniuersam Lusitaniam, & subiectas Lusitanorum, vltrà mare, imperio Prouincias est propagatus. Eborensis Episcopatus statuta condidit: certasque leges sanciuit, quibus subditas sibi oues in officio contineret, ne vagâ & solutâ morum disciplinâ errantes, à recta virtutis via deflecterent. Has tamen innocentis vitæ exemplis magis, quàm legum seueritate coercebat. Visensis item Ecclesiæ constitutiones ad sanctioris disciplinæ methodum redegit. Regio quamquam sanguine clarus, obscuro loco natos contemptui

contemptui non habebat. Communi omnes amore prosequebatur. Non opus erat alloquendi Alphonsi molles captare aditus; aut opportunum tempus quærere; quacumque adijsses hora, benignè accipiebat, & comiter dimittebat. Neminem ab ipsius colloquio tristem discedere patiebatur. Titi Imperatoris more, diem qua non donabat aliquid, perditam censebat.

Litterarum fuit admodùm studiosus, & litteratorum Mœcenas: horum patrocinium suscipere, opibus, & authoritate ijs præstò esse & cum ijsdem humanissimè agere solitus erat. Nonnullos, qui in alijs regionibus eruditionis laude florebant, magnis propositis præmijs in Lusitaniam euocauit, venientes benignissimè recepit, fouitque, ac in suis numerauit. Multa eleganter scripsit tum soluta, tum ligata oratione, quæ magna ex parte hominum incuriâ perierunt. Reliqua hinc inde collecta in vnum volumen coniecit Andreas Resendius, insignis illius ætatis Antiquarius, & Ioanni Regi Lusitaniæ, typis mandata dicauit.

Hæc virtutum ac doctrinarum ornamenta à nobis hactenùs commemorata ad rem publicam pertinebant: Priuatis verò virtutibus Alphonsi Aula ad religionem composita videbatur. Magno nobilium numero eius constabat familia, è Lusitanæ nobilitatis flore collecta. Frequens inter Aulicos Confessionis & Eucharistiæ vsus; assidua precandi consuetudo. Accedebant idoneæ ad pie-

Andreas Resendius.

tatis ſtudium domeſticæ conciones. Cæteris Alphonſus vti eminebat maieſtate, ita præibat exemplo. Sed in medio rerum curſu, florenti ætate, ac virtute Princeps immatura morte præreptus eſt; quæ non Luſitaniam tantùm, ſed vniuerſum orbem Catholicum graui vulnere, ac dolore affecit. Obijt Vlyſippone, anno M. DXL. die 21. Aprilis, ſedente Paulo III. Imper. Carolo V. Regnante in Luſitania Ioanne III. Panuinius, Ciaconius, & Sammarthani malè reijciunt Alphonſi obitum in an. M. DXXXVII. Corpus maximo totius vrbis concurſu in Bethleem deportatum. Amplum id, ac planè regium Cœnobium eſt, quod Eremitæ S. Hieronymi incolunt, tertio ferè ab Vlyſipone lapide, amœno admodum loco ſitum quà Tagus in mare influit; ex veteris Architecturæ præceptis ab Emmanuele Rege magnificentiſſimè ædificatum; & diuitijs ex Oriente aduectis elegantiſſimè ornatum. In auguſtiſſimo illius templo Luſitanos Reges, ac Regiæ familiæ Principes ſepelire mos eſt. Marmoreo Sepulchro illatum Alphonſi cadauer, idonea appoſita inſcriptione, quæ illius nomen ac memoriam ab obliuione tueretur.

Aubery p. 3. an. 1517. Contelor. in elench. p. 2. In Diario. Seuer. de Faria.

Panuinius. Ciaconius. Sammarthani Fratres.

Ioan. Barr. dec. 1. l. 4. Oſorius de Reb. Emman. lib. 1. Maffeius Rer. indic. lib. 1. Macedo, in Propugn. p. 1. c. 5.

De Alphonſo C. ſcripſerunt Panuinius, Ciaconius, in Leone X. & Paulo III. Seuerinus de Faria, lib. de Card. Luſ. §. 12. Victorellus in Elogio Alphonſi Cardin. Abraham. Bzouius anno 1514. Auberyus in Hiſt. gener. Car-

din. 3. parte à pag. 318 Terdin. Vghellus p. 1580. Hieron. Oſorius, de Rebus Eman. lib. 6. pag. 202. Garibay lib. 35. cap. 30. & 31. Maffeius in Hiſt. Rer. Indic. l. 10. pag. 428. Iongelinus, Abbas Dirinberg. in Purpurâ D. Bern. pag. 49. & 50. Cabrera Author Hiſpan. Felix Contelor. 2. p. Elench. ſub Leone X. Damianus de Goez, in Chron. Emmanuel. Reg. Luſ. p. 2. c. 42. Dominus Rodericus da Cunha, in Hiſtor. Eccleſ. Vlyſipp. p. 2. c. 2. n. 5. Eduardus Nuñes à Leone Elog. Alphonſi, Emmanuel de Faria Souſa in Epit. Hiſt. Luſit. p. 3. cap. 15. Ioannes Franco Barreto, in Bibliotheca Luſitana: Antonius de Souſa Macedo, in Excell. Luſit. cap. 23 excell. 3. Antonius de Vaſconcellos. In Elog. Reg. Emanuel. Petrus à S. Romualdo in Theſauro Hiſtor. & Chronolog. tom. 3. anno M.DXVII. Gaſpar Morellus in ſua Hiſtoria, citatus à Iongelino. Spondanus ad an. 1517. n. v. Cardinalis Bembus datis ad Alphonſum litteris, nonis Aprilis an. M.DXLIX. Maximi Regis fratrem eum appellat, doctrina & virtutibus perornatum; rogatque, vt de ſuo in vrbem aduentu tandem cogitet, cùm in ſenatum Cardinalium adſcitus viginti iam annis abſens fuiſſet: P.P. enim Max. & Cardinales eum videre, & amplecti ſummopere cupiebant. Nemo tamen breuiùs, & elegantiùs de Alphonſo ſcripſit, quàm Ludouicus & Scæuola Sammarthani fratres gemini, Regum Galliæ

Hiſtorici, tomo 2. de Hiſt. Geneal. Franc. lib. 43. pag. 873. In Chron. Emmanuelis, & Ioannis III. Regum Luſitan. multa ſcitu digna de Alphonſo traduntur.

Alphonſi Infantis Cardinalis Regium Luſitania Symbolum.

Singulare Alphonſus Symbolum ſibi deſumpſit; Baculum viatorium in maris littore defixum: hoc lemmate: *Vt nihil iuuat*: cuius ſenſum aſſequi vix poſſumus: conſulat curioſus lector Iacobum Typotium in Symbolis tom. 2.

ALEXANDER

PAVLO III. P. P.

CARDINALIS FARNESIVS:

EPISCOPVS VISEI.

ANNO 1534.

Sacri Collegij Decanus & Episcopus Ostiensis.

PETRVS Aloisius, Parmæ & Placentiæ Dux, ex Hieronyma Vrsina, clarissimi sanguinis coniuge, Alexandrum filium suscepit VII. Octobris, anno à partu Virginis M. DXX. In ipso pueritiæ flore à parentum complexu auulsus, & Bononiam, studiorum causâ missus est. Ea in vrbe, optimarum artium studijs celebri, prima litterarum rudimenta posuit, vixitque secundâ pietatis, ac doctrinæ famâ. Dum versaretur in Scholis, à Clemente VII. P.P. Max. Gentis Farnesiæ studioso, Episcopus Parmæ designatus est admodum iuuenis; sed iam tum in eo senilis quædam maturitas apparebat. A Paulo III. ipsius auo, qui demortuo Clementi successit, in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus die 18. Decembris, anno M. DXXXIV. Titulum desumpsit à S. Angelo in foro Piscario. Mox in Alexandrum aliæ,

atque aliæ dignitates, vt illum ornarent, ſuſcepto veluti ſtudio, confluxerunt, & per vniuerſi orbis Catholici Prouincias, Epiſcopatus adminiſtrauit, vt ſolis inſtar, omnes ſuarum virtutum ſplendoribus illuſtraret. In Gallia, Archiepiſcopus fuit Auenionenſis; Maſſanenſis & Spoletinus Epiſcopus in Italia; in Hiſpania Giennenſis; Viſenſis in Luſitania, in Sicilia, Montiſregalis Archipræſul; Præpoſitus Herbipolenſis in Germania; Patriarcha Hieroſolymitanus in Oriente. In vrbe, verò Archipreſbyter primùm S. Mariæ Maioris; poſteà S. Petri S. R. E. Vicecancellarius. Preſbyterorum Cardinalium Princeps (*Priorem* Romano ritu appellant) ſuis deindè temporum interuallis, diuerſos Eccleſiarum titulos optauit. Epiſcopatus item Sabinenſem, Tuſculanum, Portuenſem, & Oſtienſem geſſit. Sacri tandem Collegij Decanus extitit. Id proprium Alexandri fuit, vt quò altiùs per honorum gradus aſcenderet, eò magis virtutibus emineret; & nouas ſemper explicaret dotes, cùm ad noua munia eligeretur.

Spondan. an. 1539. n. 18. Caremon. Theod. Godofr. edit. 1619. Belcair. Gallic. Rerum lib. 22. n. 34. & anno 1540. n. 41. Martin. Bellaius ann. 154 . in Comment. lib. 8.

Anno humanæ ſalutis M. DXXXIX. Legatus in Galliam à Paulo III. miſſus eſt, vt Carolum V. Imper. & Franciſcum Regem, qui depoſitis in ſpeciem odijs, & bellandi ſtudijs, Pariſijs ineunte Anno 1540. conuenerunt, Pontificis nomine ſalutaret; gratularetur que de firmata eo in congreſſu concordia. Agebat tum Alexander annum

nonum suprà decimum; sed excelsa indole, maturo iudicio, vitæ integritate, maiorem præ se ferebat ætatem. Itaque in eo celeberrimo totius orbis theatro, magnam sui admirationem omnibus commouit, & Pontificij Legati personam egregiè sustinuit. Euntem in Belgium Cæsarem ad sedandas Gandauensium turbas, comitatus est, publicæ conficiendæ pacis spe erectus: ibique mensibus aliquot, nullo ferè operæ pretio, consumptis, Galliæ, & Italiæ se reddidit.

Auber. p. 3. a. Hist. Card. à fol. 460. Iouius, lib. Nigron. orat. 22. Contelor. p. 2. elenchi sub Paulo 3. fol. 153.

Altera ad Cæsarem Legatione functus est anno M. DXLIII. is ea mente ex Hispania, Genuam mense Maio appulerat, vt collectis ex Italia, ac Germania militum copijs, Belgium peteret, & infestis armis inuaderet Ducem Cliuiæ & Iuliaci, partâ de Cæsarianis victoriâ elatum: circumactisque illo iam debellato, armis, in Galliam impetum belli verteret. Carolo, & Francisco turpi inter se bello implicitis, Paulus P.P. vt Solimanum innumeris Turcarum copijs Hungariæ imminentem auerteret, ad componendas inter illos Principes discordias toto pectore incubuit. Alexandrum in id summæ authoritatis Legatum ad Cæsarem destinauit. Is tantum oratione, & constantia valuit, vt renitentem quamuis, & moras nectentem ad obsequium flexerit; & Bussetum (oppidum id tum erat Pallauicinæ Gentis, Parmam inter & Placentiam) ad colloquium cùm Pontifice venire persuaserit. Cæterùm altiùs in

Spondanus. Ciaconius. Paulus Iouius. Auberyus. Belcairus.

eius pectus descenderat bellandi studium, quàm vt extingui, aut mitigari Pontificia authoritate posset. Itaque re infecta à colloquio discessum. Solimanus intereà, glischentibus inter Christianos Principes discordijs, rei benè gerendæ occasionem nactus, in Hungariam irrumpens, quinque-ecclesias, Velpouiam, Strigonium, Albam regalem, aliaque minoris nominis oppida, vno victoriarum impetu cepit: totaque regione latè vastatâ, & innumerâ Christianorum multitudine in seruitutem abducta, Constantinopolim rediit.

Spondanus an. 1528. Scriptor. Rer. Hungar.

Concepta iamdudum Hæreticorum animis in Germania aduersùs Catholicos odia, in aperta bella eruperunt anno M. DXLVI. Sumptis in Cæsarem armis rebellauit Saxoniæ Dux Fridericus, & Philippus Hassiæ Lantgrauius, alijque Germaniæ Principes Lutherana hæresi infecti. Illo in bello de summa imperij, & religionis agebatur. Igitur Paulus Rom. Pontifex huius tuendæ studio ductus, validas peditum, equitumque copias ex Italia ad Cæsarem misit; queis Octauium Farnesium, Camerini Ducem, Alexandri fratrem, suprema cum potestate præfecit: Alexandrum, Legatum adiunxit; vt armatis ille copijs, consilijs iste Cæsarem pro virili parte iuuarent. Citiùs tamen quàm par erat, ex Germania discesserunt; siue id rei numariæ penuriâ, tantis alendis copijs necessariæ; siue Pontificis mandato; siue alia de causâ contigerit. Liquet, commisso inter

Iulius Nigronus S. I. Spondan. an. 1546. n. 18. Vghellus. Auberyus. Sanderus, decad. 3.

Cæsarem

Cæſarem & Saxonem anno inſequenti prælio minimè interfuiſſe Farneſios.

Defuncto Paulo III. anno M. DXLIX. Romam Cardinales ad Comitia conuenerunt: hæſeruntque in dies plures propter ſtudia partium dilata. Donec Alexander Paulinæ factionis Princeps, quæ magno Cardinalium numero conſtabat, pronos in ſuam de Cardinali de Monte, Pontifice eligendo, ſententiam, Cardinales habuit: qui ad Petri Cathedram euectus Iulij III. nomen deſumpſit: atque Octauium, Alexandri fratrem, Parmæ & Placentiæ Ducem creauit: Alexandrum verò magnis honoribus affecit. Succeſſu temporum, propter nonnullas interpoſitas offenſiones, Iulium inter & Octauium, bellum exarſit. Alexander, vt erat inprimis cautus, ne ex fraterno odio ſuſpicionis, aut labis notam aliquam contraheret, Florentiam primùm; mox Auenionem ſe recepit, vbi ab armorum ſtrepitu remotus, & huius Legationis munere contentus, quandiu vixit Iulius, moram traxit. Quo demortuo, anno Pontificatus quinto, in vrbem reuerſus Marcellum Ceruinum, qui ſibi olim à ſecretis fuerat, Iulio ſuffectum, ingenti bonorum omnium approbatione, comperit A Pontifice peramanter exceptus, & ad intimas grauiſſimarum rerum conſultationes admiſſus.

Anno 1550.

Anno 1555.

Succeſſit Marcello, altero & viceſimo ab inito Pontificatu die, extincto, Paulus IV. enixè in- *Anno 1555.*

primis fauente, adiuuanteque Farnesio, Paulo Pontificatum gerente, Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. in vrbe moratus est, vt omnium ordinum hominibus authoritate, patrocinio, opibus præstò esset, ceu foret ad ornandam virtutem, & miserorum inopiam subleuandam natus. Amplissimo patrimonio, & opulentissimis Sacerdotijs auctus, Regum penè adæquabat opes, quas in aliorum commoda effundebat. Pueros parentibus orbatos suis sumptibus educari, & liberalium artium studijs erudiri iubebat: Virgines vulgandæ pudicitiæ periculo, ob egestatem expositas, matrimonio collocabat. Nobiles viros, religionis causâ, in exilium actos fouebat, & idonea ad ducendam vitam subsidia ministrabat: captiuos in libertatem, magnis pecuniæ summis persolutis, asserebat. Piorum hominum familias protegebat, & eleemosynis iuuabat. Magnum Alexandrum re meliùs, quàm nomine repræsentabat.

Literarum ac litteratorum Mæcenatem perpetuò egit. Alexandri aula Sapientiæ domus videbatur, in qua magni nominis Philosophi, ac Theologi, & iuris vtriusque periti versabantur: nec deerant humanis, ac diuinis litteris eruditi, à quibus Alexandri nomen, & virtus cultissimis ingenij fœtibus in lucem editis, æternitati commendabatur. Id ab Alexandro, Sapientissimo Principe crebrò repetitum: *Ignauo milite & Clerico ignorante nil turpius.*

Impensè fouit Michaëlem Siluium, gente Lusitanum, clarissimâ familiâ natum, Regis Emmanuelis in Concilio Lateranensi sub Leone X. legatum, Visei posteà Episcopum à Ioanne III. Emmanuelis filio, & successore designatum: Hic, inscio, & insalutato Rege, è Lusitaniâ Romam se contulit, vt destinatam sibi à Paulo III. Alexandri interuentu, Cardinalis dignitatem obtineret. Cæterùm Ioannes rei conscius, iusta indignatione commotus, Michaelem opulentis, quos ex Visei Episcopatu percipiebat, redditibus priuauit, illiusque bona regio fisco addixit; & Lusitanorum cum eodem commercium, edicto admodum seuero, penitùs substulit, vt fusiùs in vitâ Michaelis scribemus. In his rerum articulis, ægrè ferente Pontifice tantam Regis indignationem, & Sacra Ecclesiæ bona profano fisco addici; diuino planè consilio (cuius authorem fuisse dicunt Ignatium, Sanctissimum nostræ Societatis parentem) factum est, vt Michael Visei Episcopatu cesserit, atque in Alexandrum, de Pontificis ac Regis consensu eundem transtulerit; qui, titulo, & administratione contentus, solidos Michaeli prouentus, vt splendidè viueret, assignauit. In hunc ferè modum sæua illa irarum tempestas sedata est.

Acunha in Histor Eccl Brachar. p 2. c. 71. Seuerm. de Fatia § 13. Tellez, in Chron. Prou. Lusit. p. 1. l. 1. c. 25.

Orlandin. in Hist. S. I. lib. 5. n. 27. Acunha suprà citat.

Ludouic Cell. in Histor. Montisregal. & Polytus Marraccius in Purp. Mar. Ciaconius. Victorellus. Sacchinus S. I.

Benedictinorum & Seruitarum Protectorem egit, Ragusinæ item Reipubl. & Genuensis: quemadmodum & Aragoniæ, Siciliæ, Lusitaniæ, Po-

loniæ, & Germaniæ, magna earum Prouinciarum vtilitate & gratulatione. Multa, eaque præclara munificentiæ, & pietatis monumenta erexit. In Sicilia, Sacram in Monteregali Ædem Societati Iesu posuit. In Ecclesia S. Mariæ, à Gulielmo II. ibidem fabricata, pauimentum rubri coloris marmore strauit, candidis venulis intercurrentibus, pulcherrimè distincto. Propè vrbem, ad Aquas Saluias, amplum Scalæ cæli Sacellum, ad cryptam Ferratam, augustum Deiparæ templum ædificauit. Aliud elegantis structuræ S. Siluestro, in Monte Soracte. Basilicam S. Laurentij in Damaso, insigni laqueari, & Illustrium Pictorum tabulis ornauit. Id testatur ad Aram maximam inscriptio:

Alexander Cardinalis Farnesius, Vicecancellarius, Deo, & S. Laurentio dedicauit.

Alia ad publicam vtilitatem, & splendorem condidit, Farnesia maiestate, & religione digna, quæ longum esset commemorare. In Nostram maximè Societatem egregia beneuolentiæ, ac liberalitatis documenta præbuit. Ædem magnificentissimam nomini IESV dicatam, in celeberrima vrbis regione, immensis sumptibus struxit; ibique ad Aram Principem sepeliri voluit, vt sui in Societatem amoris constans, & perpetuum extaret monumentum. Ipsam quoque Professam domum à fundamentis erigere cogitabat: sed morte præuentus, opus quod moliebatur, non po-

tuit in choare. Id diuini Numinis prouidentia, vt par eſt credere, clariſſimo Principi Odoardo Cardinali Farneſio reſeruabat, qui non ſatis duxit generis claritatem & gentilitia virtutum ornamenta referre, niſi amorem quoque, & munificentiam Pauli III. & Alexandri Cardin. & ab imis fundamentis erecta, & ad finem perducta Domo, ea pulchritudine, & magnificentia, quæ Farneſiam gentem deceret, & Fundatoris memoriam æternaret, quæ Societatis Hiſtorici fuſiùs, & elegantiùs perſequuntur.

Biennium, antequàm Alexander vltimum obiret diem, Zagarollam, Villam amœniſſimam, ſeceſſit, vt ab hominum aſpectu, vſuque ſemotus, rerum cæleſtium meditationi liberiùs vacaret, & heroïcis parandis virtutibus impenſiùs ſtuderet. Accerſito primum Societatis Sacerdote, per totius anteactæ vitæ confeſſionem animi ſordes eluit; cum paucis deindè familiaribus ſanctiorem quandam viuendi rationem inſtituit, quam ad extremum vſque ſpiritum exactè ſeruauit. Ita ſeſe ad vitæ exitum comparauit, ac ſi peregrini in terris perſonam gereret; & totum ſe cæleſtibus addiceret. In vrbem, tranſacto biennio, reuerſus, annis iam grauis, & clariſſimis in Eccleſiam meritis præſtans, cælo maturus deceſſit 6. Nonas Martij anno M. DLXXXIX. Sixto V. P.P. Max. Imper. Rodulpho II. Rege Luſit. Philippo II. Septuaginta annos vixit: quinque & quinquaginta Cardinalis

Felix Contelor. ſub Paulo III. fol. 153. Auberyus. Iulius Nigronus. Donius d'Attichy tom. 2. an. 14·7. n. 31.

purpuram geſtauit. Ingenti omnium ordinum concurſu, luctuque defuncti corpus in templum IESV delatum: Iuſta ſunt ei ſolenni more perſoluta: confluxere quadraginta duo Cardinales, ingens Præſulum, & nobilium numerus; innumera pauperum ac miſerorum multitudo, quorum ille curam ſuſceperat & parentem egerat. Eo in templo abs ſe magnificè condito, plano, ſed eleganti ad Aram maximam è lapide porphiretico Sepulchro humatus eſt, inſcripto huiuſcemodi Epitaphio:

D. O. M.
Alexandri Farneſij Cardinalis S. R. E.
Vicecancellarij Epiſcopi Oſtienſis,
Huius Eccleſiæ Fundatoris.

Alia illuſtriori in loco, ideſt, in interiori pulcherrimæ Ædis fronte, ſuprà portam, marmoreo lapidi ad id perfectè expolito, maioribus litteris inciſa legitur inſcriptio:

Alexander Farneſius Cardinalis
S. R. E. Vicecancellarius
Pauli III. PP. Max. nepos, cuius authoritate Societas IESV recepta primùm fuit, & Decretis ampliſſimis ornata, Templum hoc ſuæ monumentum, & religionis, & perpetuæ in eum ordinem voluntatis à fundamentis extruxit. Anno Iubilæi MDLXXV.

Aurelius Vrſus. In demortuum Alexandrum pulchrè cecinit Aurelius Vrſus:

Eheu Farnesi! quod nomen in vrbe relinquis
 Dulce tui? quæ spes te pereunte perit?
Te gemit æger, inops, te Virgo nubilis optat
 Te reus è dura compede sæpè vocat.
Tu decus omne tuis; patriæ tu Sidus amicum;
 Grandeque præsidium, & nobile lumen eras.
Nunc moriens, Romæ excidium, funusque videris:
 Omnis & in te vno Roma sepulta iacet.

In Tumulum Franciscus Bencius S. I. hoc disticho: *Franciscus Bencius.*

Magnus Alexander iacet hic Farnesius: Anné
 Vnquam erit, vt similem postera secla ferant?

Nemo tamen Alexandri nomen, laudesque altiùs extulit quàm Carolus V. Imperator hoc Elogio: *Si Collegium Cardinalium ex multis Alexandris constaret; parem orbis terrarum Senatum non haberet.*

Insigne sibi desumpsit, Sagittam ab arcu emissam, scopum collimantem, hoc lemmate: *Sic iacio.* Candidam item, ac puram papyrum, addita Epigraphe: *Auberyus.*

Votis subscribite fata secundis.

Multis egerunt de Alexandro Cardinali Farnesio, Panuinius in Paulo III. Ciaconius, in Paulo III. Iulio III. Sixto V. Paulus Iouius Histor. lib. 39. & lib. 43. pag. 564. Spondanus anno 1539. n. 16. & anno 1540. n. 4. Auberyus, in Histor. Gener. Cardin. p. 3. à fol. 460. Sleidan. lib. 13. fol. 214. & 216. August. Thuanus lib. 2. fol. 39. 51. 59. Petramellar. in Elogijs, Cardinalis Sadoletus lib. 9.

epist. 4. Andreas Victorellus in addition. ad Ciaconium, sub Paulo III. Vghellus tom 1. Italiæ Sacræ, in Episcop. Ostiensibus, Sabin. Tusculan. & Portuensibus, Petrus Magnus, in orat. Funebri. Alia item oratione 21. Iulius Nigronus S. I. & Ioannes Baptista Leo. Laurentius Gambara, & Aurelius Vrsus, in suis Carminibus, Hieronymus Borgius, Massæ Lubrensis Episcopus, Felix Contelor. p. 2. Elenchi S. R. E. Cardinal. sub Paulo III. fol. 153. Ludouicus Donius d'Attichy, Antistes Æduensis in Floribus Cardinal. tom. 2 anno 1417. n. 31. Belcairus Episcop. Metensis Rer. Gallic. lib. 22. n. 34. & 41. & anno 1543. n. 31. Acunha, in Hist. Eccles. Archiep. Brachar. p. 2. c. 80. & 81. Seuerinus de Faria, lib. de Cardinal. §. 13. Historici S. I. Orlandin. lib. 15. n. 64. Sacchin. p. 3. l. 4. n. 141. & p. 5. tomo 1. lib. 9. à n. 34. Ribadeneira, in vita Ignatij, cap. 10. Maffeius, item in vita Ignatij lib. 2. c. 14. Balthasar Tellez, in Chron. Prouinc. Lusit. lib. 1. c. 25 n. 1 Præter hos Franciscus Bencius excellens Orator, & Poëta, Alexandrum laudauit binis orationibus, & cultissimis versibus; quemadmodùm & Blasius Viegas, eximius Sacrarum Litterarum Interpres, in Dedicatione operis in Apocalypsim, quod Odoardo Cardinali Farnesio nuncupauit: & Franciscus Remondus S. I. Hieronymus Fracastorius, eleganti poemate: & Antonius Sanderus, in Elogijs Cardin. Dec. 3. fol. 190. Hippolyt. Marrau. in Purpura

purà Mariana Ludou. Cell. in Hist. Montisregalis, Paulus Sadoletus, Marcus Antonius Flaminius, Aldus Manutius, Petrus Victorius, & omnes ferè illius æui scriptores de Alexandro meminerunt; & eiusdem memoriam, qua soluta, qua vincta numeris oratione celebrarunt.

Farnesia Gentis tessera: Sex tibiis sapphirini coloris, in areola luminis crocei.

PAVLO III. P.P.

ANNO 1539.

MICHAEL DA SILVA.

EPISCOPVS VISEI.

Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans-Tiberim.

CLARISSIMAM Siluarium familiam Cardinalis Michaël natalium ac virtutum splendoribus illustrauit. Parentes habuit Iacobum da Silua Menesium, Regiæ Aulæ Oeconomum, primum Portalegrij Comitem, ampla in oppida multa ditione potentem; & Mariam de Ayala, Comitis Gulielmi de Peraça sororem, Gomeriæ & Ferreæ Insularum, inter Fortunatas, Toparchæ. Singulare Genti Siluiæ ornamentum addidit Ioannes à Silua Menesius, Michaelis patruus, qui florentissima relicta domo, & Lusitaniâ valere iussâ, in Italiam se contulit; vbi Minoritis se addixit, mutato in Amadeum nomine, ne qua sui memoria esse posset; Insubres inter eximiæ sanctitatis documenta præbuit, quorum famâ Romam perlatâ, Sixtus IV. in Vrbem accersitum, confessarium sibi adlegit. Nonnulla sui ordinis domicilia ad seuerioris vitæ normam, magnis superatis difficultatibus, priùs reuoca-

Seuerin. de Faria §. 13. Auberius parte 4. fol. 41. Vghellus in Addit. Ciacon. sub Paulo III. Ioann. Barrius Dec. 1. l. 1. cap. 12. Asia. Petr à S. Romualdo in Thezauro tom. 3. Anno 1402. Fr. Francisc de Macedo in Propugn. parte 1. fol. 81. Vuading in Annal. Min. tom. 6. anno 1464. Spondan. tom. 2. an. 1489. Crescent. in Præsid. Rom. lib. 1. pag. 393. Georgius Valcamonica. Marianus Florentin.

uit, opportunasque leges condidit, quas Pius II. solemni ritu approbauit: Tandem multis clarus miraculis Mediolani ex hac vita migrauit XII. alij X. obiisse tradunt Augusti, anno MCCCCLXXXII. A Beatrice item Siluia, Amadei Sorore, Virgine lectissima, is Sacrarum Virginum Ordo in Castella institutus est, qui à Conceptione nomen duxit.

Barthol. Cimarellus, vita M. S. S. Amadei. Donatus Bossius an. 1482. Aubert. Miraeus, in Orig. Mon. lib. 5. cap. 13. Fr. Francisc. Gonzaga in fundat. concept. Tolet. Gell. Gonçales de Auila. De Magnit. Madrit. l. 4. Menolog. Cisterciense.

Deriuatam à maioribus cum sanguinis claritate pietatem à teneris pueritiæ annis Michaël hausit: ac tantis Auorum suorum nominibus parem se proprijs virtutibus præstitit. Excelsa illi indoles erat, & felix ad omnia ingenium. Ad studium maximè litterarum natus videbatur. Quapropter cùm vehemens discendi desiderium iamdudùm animo conceptum, diutiùs cohibere non posset, foràs erumpere, & è Lusitania in Galliam se transferre decreuit, vt Parisiis, propter illius Academiæ frequentiam ac celebritatem, optimarum Artium studijs operam nauaret; in qua per id tempus multi è Lusitana iuuentute delecti Scholastici versabantur, quos Reges, egregiè pij, proprijs impensis alebant, vt litteris perfectè exculti, in patriam redeuntes communi Reipubl. bono, & ornamento seruirent. Vbi Parisios peruenit, in amæniorum litterarum studium tanto discendi ardore incubuit, vt breuî eminere cæperit acuto & amæno ingenio ad humaniores litteras, & poeticas sua-

uitates comparato. In Græcis litteris ita profecit, vt inter æquales peregrinæ illius linguæ peritiâ facilè Princeps haberetur. Grauioribus posteà disciplinis studuit, & confectis scholarum curriculis, Doctoratus laureâ insigniri voluit, vt publico Academiæ testimonio, de illius virtute, ac doctrina vbique constaret. Ioannes Antonius Petramellarius in suis Elogijs, tradit Michaëlem litteris vacasse in Academia Senensi: In Bononiensi, scriptores alij; Verosimilius est, Parisijs primùm, Senis posteà; postremùm Bononiæ litterarum studia frequentasse.

Petramellarius. Seuerin. de Faria. Francus. Barretus. Anton. Sanderus.

Cæterum cùm magno Romam videndi desiderio teneretur, eò iter intendit: vrbem ingressus, Hieronymum Osorium, grauissimum & eloquentissimum Rerum Lusitanarum Historicum, patriæ, & vitæ rationibus sibi coniunctum, ibi eo tempore commorantem, inuenit. Mox, vbi ingentes virtutum, ac multiplicis eruditionis opes, quas Parisijs, Senis, & Bononiæ studendo collegerat, palàm exposuit, ac effudit, magnam sui admirationem commouit; & multos sibi amicos doctrinæ præstantia, & generis claritate parauit. Degebant in vrbe, aurea illa ætate, sub Leone X. sapientissimo P.P. litterarum, ac litteratorum Mœcenate, præstanti ingenio viri, & eloquentiæ famâ celebres, qui per omnium ora volitabant, Paulus Iouius, qui Michaëlem singulari studio coluit, & Poëtam cultissimum, omnisque ele-

Hieronymus Dorius.

Paulus Iouius in vita Leonis X.

gantiæ arbitrum vocabat: Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, virtutis & sapientiæ causâ, suo tempore, à Paulo III. in Sacrum Cardinalium Senatum adscripti, Beroaldus iunior, Parrhasius Cosentinus, Nicolaus Perotus, Guarinus Veronensis, Lilius Gregorius Gyraldus, Camillus Guernus, Andreas à Lacuna, Christophorus Aretinus, Marius Salomonius, Augustinus Suesanus, acutissimus Philosophus, Antonius Tibaldœus propter vnicum Epigramma, quingentis numis aureis à Leone donatus. In litteris Græcis excellebat Basilius Chalcondylas, illius Demetrij filius, qui Leonis in adolescentia fuerat præceptor. Michaël ad institutam in alijs Academijs agendi consuetudinem reuersus, priuatos Academicorum conuentus adire; litterarijs exercitationibus interesse, publice ac priuatim de quacumque re proposita scitissimè disserere; non paucas diei horas Musis dare, & stylum feliciter exercere; mox in Cardinalium, ac Virorum Principum amicitiam, familiaritatemque opportunè insinuare sese, eosdem obsequio, ac submissione fouere; pares morum suauitate allicere; inferioribus ope, authoritate, pecunijs præstò esse; quibus ille benemerendi artibus omnium Ordinum gratiam sibi conciliauit. Fuit enim in Michaële, præter excellentes animi & corporis dotes, aptum, atque efficax, ad hominum voluntates sibi demerendas, ingenium.

Sander. in elog. Cardin. dec. 6. Elogio 9. Fr. Francisc. Macedo in Descript. Archigymn. Rom. sapientiæ, pag. 25. Spondan. an. 1513. n. 10. Francisc. du Chesne tom. 2. Hist Pontific. in Leone X.

Breui interiecto tempore, Hieronymum Osorium, dequo suprà meminimus, iure contubernij sibi familiarem, in eam sententiam adduxit, vt Venetias simul adirent, atque sui ingenij specimen præberent illos inter Academicos, qui sub id tempus honesto labore desudabant, in illustranda, explicandaque Plinij obscuris in locis Historia, & sensu idoneo in lucem edendo: in quo Michaël & Osorius Venetias delati, multum operæ & studij posuerunt, & clarissimi scriptoris Historiæ lucem eruditis sententijs attulerunt. Porrò Venetijs, Romæque sparso rumore vulgatum; Osorium orationis grauitate, & prisco styli nitore excellere: Michaëlem verò, Musarum salibus, & Poëtices amœnitate, venaque vberrime in carmina fluente, Osorio palmam præripere.

Confectis studiorum curriculis, & litteris probè instructus, & nobilissimis Europæ Prouincijs, non modica accessione virtutis, peragratis, ad patrium solum, & incunabula se referre decreuit. Vlysippone obuios habuit honoris causâ Siluiæ familiæ Dynastas, & ingentem de aduentu gratulantium turbam: Michaëlis quippè fama Hispaniam ferè totam secunda cum admurmuratione peruaserat: Ab ijs in Regiam deductus, ab Emmanuele Rege, qui tum Lusitaniæ magna nominis celebritate imperitabat, honorifice exceptus est. Nec longam in patria moram traxit; ab eodem quippè Rege ad Leonem X. ornatissima

Acunha in Chronico. Emman. Reg. Lus. p. 4. c. 2.

cum Legatione miſſus eſt. Concilio item Lateranenſi, quod Iulius II. inchoauit anno Humanæ Salutis M. DXII. & Leo abſoluit anno M. DXVII. diſcurrens Luſitani Regis nomine interfuit. Apud Hadrianum VI. & Clementem VII. Regij etiam oratoris munus egiſſe, idonei Authores teſtantur, Ciaconius, Sanderus, Auberyus, & Vghellus. Rebus in vrbe conſtitutis, in Luſitaniam reuerſus eſt; vbi, matura iam virtute vir, & multarum rerum vſu, peritiaque inſignis, quam per diuerſarum Gentium regiones, Chronic. Ioannis III. moreſque obſeruans, comparauerat, à Ioanne III. qui defuncto Emmanuele parente, rerum potiebatur, conſiliarius adlectus eſt, & Arcani Scribæ, à *Puritate* vulgò dicunt, officio decoratus; quod ſummæ in Aula Luſitana fidei & authoritatis habetur, vt potè cui intima Regum arcana commiſſa ſunt. Nihil enim magis optabat Rex prudentiſſimus, quàm vt optimi conſiliarij ſibi contingerent; cùm tota Regni moles Regumque felicitas eorum maximè conſilijs, ac fide nitatur.

Acta Conc. Lateran. V. ſſ. 10. 11. 12.
Philip. Labbe an. 1518.
Oecumenicum 17.

Ciacon. in Paulo III.
Anton. Sanderus.
Auberyus pag. 40.
Vghellus in Addit. Ciacon.

Dum Michaël in Luſitania verſaretur, Romæ, Paulus III. P.P. Max. qui illius prudentiam & doctrinam multis in rebus erat expertus, Viſei Epiſcopum iam antè inſtitutum in numerum Cardinalium adlegit 12. Decembris anno M. DXXXIX. in 6. creatione. Quamquam Panuinius & Ciaconius in alia ſententia ſint. At ne delati ſibi honoris fa-

Felix Contelor. p. 2. elench. S. R. E. Card. ſub Paulo III.
Auberyus iam citatus.
Panuinius & Ciaconius in 7. creatione ſcribunt.

ma ad Ioannis Regis aures peruolaret, Michaël ſedulò cauit, & Alexander Cardinalis Farneſius, Pontificis nepos, Michaëli amiciſſimus, cuius potiſſimùm interuentu, Cardinalitiam dignitatem is obtinuerat; certum quippè erat ægerrimè laturum Regem, ſe inſcio, & diſſentiente, Michaelem à P.P. Cardinalem creatum. Cœterum rex breuî rei conſcius, nullis precibus flecti, nullis rationibus potuit expugnari, vt Michaëli permitteret oblatam ſibi dignitatem inire, vrbemque repetere. Aduerſa igitur Ioannis voluntate ſatis explorata; Cardinalis, paucis profectionis ſuæ conſcijs, inſalutato Rege, Italiam versùs iter ſuſcepit; neque ſine labore, Romam peruenit. Procedente tempore in Luſitaniam redire noluit, & Regi morem gerere, reditum iteratis litteris ſuadenti. Quapropter is iuſta indignatione commotus, amplis, quos ex Viſenſi Epiſcopatu percipiebat, prouentibus, Michaëlem priuauit; è Luſitania proſcripſit: & Luſitanis cum proſcripto, etiam per litteras, commercium, ſeueroadmodum edicto vetuit. Hanc tamen patriæ, & fortunarum iacturam Pontifex ad ornandam virtutem natus, aſſignatis alibi redditibus compenſauit. Romæ ingenti omnium ordinum gratulatione exceptus eſt, & Sacræ purpuræ inſignibus palàm ornatus. 11. Decembris, anno MDXLI. Titulum primùm deſumpſit Baſilicæ XII. Apoſtolorum, modicis poſteà temporum interuallis, S. Pra-

Chron. Ioan. R. parte 4. c. 42.

Seuer. de Faria. Acunha Hiſt. Brach. p. 2. c. 80. n. 9. Andrada in Chron. Ioan. parte 3. c. 81. Balthaſ. Tellez. in Chron. Prouinc. Luſit. parte 1. l. 2. c. 25.

Panuinius. Ciaconius. Contelorius. Auberyus. Sanderus.

S. Praxellis, S. Marcelli, S. Pancratij; postremum S. Mariæ trans-Tiberim. Sanderus & Auberyus addunt Titulum S. Priscæ: penès illos fides sit.

Grauissimarum confestim rerum consultationibus adhiberi cœpit, in quibus illius prudentia & doctrina mirificè enituit. Paulus III. & Iulius III. Michaelis consuetudine vsque adeo capti sunt, & consilia admirati, vt qualem dudum optauerant Christianæ Reipubl. Consiliarium, sese Dei beneficio nactos esse affirmarent, cùm nemo ferè, illo doctrinæ studijs, rerum experientiâ, & vitæ integritate præstantior haberetur: In ferendis suffragiis inuictum se penitus importunis ambientiun precibus & incorruptum præstabat, vnius tantum Dei timore, & publico Ecclesiæ bono antè oculos proposito.

Alexandro Cardinali Farnesio, cui sacrarum rerum administratio magna ex parte à Paulo P.P. commissa erat, in paucis carus fuit: Arctissima inter vtrumque studiorum & animorum concordia coaluit. Alexander in gratiam Michaelis, Visei Episcopatum à Pontifice obtinuit, Rege Lusitaniæ Ioanne permittente, vt pleniùs enarrauimus in vita Alexandri C. Farnesii; sed titulo tantùm, & nuda administratione contentus, solidos Michaeli prouentus assignauit, eximiæ liberalitatis & amicitiæ argumento.

Scriptores Lusitani. *Orlandin. in Histor. S.I. lib. 5. n. 29.*

Ad Senatum Venetum à Paulo P.P. Michael

Petra[illegible] in Elog.

Auberyus. Victorellus in Addition. ad Ciaconium.

cum legatione missus est. Magnum bene gerendis rebus momentum attulit summa legati authoritas, & humanissimus in agendo modus Rauennæ item legationem obiisse tradunt clari nominis Scriptores, Emmanuel Seuerinus de Faria, Damianus à Goes, & Ioannes Francus Barretus, Ciaconius & Sanderus. Marchiæ Anconitanæ, Bononiæ, Felix Contelorius, Vaticani Archiuij Præfectus, legatum fuisse memorant. Impositas eius humeris à P.P. legationum prouincias, non vulgaris prudentiæ, & iustitiæ laudibus sustinuisse comperimus: in illis Monetam suo nomine, & gentilitio Siluarum Symbolo cudere iussit; vt tradit Ioannes Franco, scriptor Lusitanus, qui eam se vidisse testatur. Iusto annorum spatio in legationibus consumpto, cuncti ferè ordines, quorum ille animos morum suauitate, & mixtâ cum seueritate clementiâ, sibi gubernando deuinxerat, è prouincijs discedentem proximo doloris sensu, & verissimis lacrymis sunt prosecuti.

Seuerinus de Faria. Damian. à Goes. Ioannes Francus Barret. Ciaconius. Sanderus. Felix Contelorius.

Ioannes Francus.

Sæuiebat id temporis bellum inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum I. Galliæ Regem; quod vniuersam penè Europam magnis motibus concussit, & publicam pacem turbauit. Paulus III. qui in Reipubl. Christianæ salutem intentis semper oculis, atque animo excubabat, Pontificij muneris esse duxit, inter vtrumque Principem iustas pacis leges statuere, ne diffusum bel-

li incendium latiùs ac diutiùs, ingenti Catholici orbis damno, per Italiam grassaretur. In id, *inquit Ciaconius*, ad Cæsarem legauit Nicolaum Ardingellium, qui à Pontificiis secretis erat, nec multò post, Cardinalem Sadoletum: Ad Franciscum, Gasparem Cardinalem Contarenum: in huius verò demortui locum, Siluium Cardinalem subrogauit. Rebus tamen accuratè examinatis Ciaconium deceptum esse existimamus: aliter quippè legationes describunt Sfortia Pallauicinus S. I. splendidissimum huius æui ingenium, quem sacrâ nuper purpurâ S. S. D. N. Alexander VII. donauit; qui Tridentini Concilij Historiam diligentissimè conscripsit; & Felix Contelorius & Auberyus & Ferdinandus Vghellus. Narrant hi Authores, missum à Pontifice ad Carolum & Franciscum, Ioannem à Montepolitiano pro stabilienda pace legatum. Cæterùm quia nimis arduum erat & Ioannis viribus longè superiùs de *Pace* agere apud excelsos Principes, in armorum studiis penitùs defixos, bellumque summa contentione gerentes, altiorem requirebat personam, quæ Pontificiæ legationis munus, tantumque onus sustineret, & omnium votis satisfaceret. Iusti ergò ad tantos Principes legati designati: ad Gallum, Iacobus Sadoletus, Episcopus Carpentoratensis, in Prouincia Auenionensi; Gallicæ Gentis admodùm studiosus; ad Cæsarem, Gaspar Contarenus, qui

Ciacon. in Paulo III.

Sfortia Pallauicinus.

Contelorius. Auberyus. Vghellus. Belcair. Rer. Gallicar. lib. 23. n. 25. an. 1543.

multùm apud eumdem Cæſarem gratiâ valuerat, dum in eius Aula Nuntij olim perſonam gereret. Vterque S. R. E. Cardinalis. Verumtamen quia Contarenus, Bononiæ, in medio legationis curſu fato conceſſit, demortuo ſuffectus eſt Michaël da Silua, Cardinalis *de Viſeu* communi ſermone dictus, deſumpto ab Epiſcopatu cognomine, qui legati ad Cæſarem munus, prouinciamque ſuſcepit. Ingratus valde Cæſari fuit Siluij Cardinalis aduentus, vt potè qui è Ioannis Luſitaniæ Regis gratiâ excidiſſet, ſanguinis ſibi, & amicitiæ vinculo coniunctiſſimi: idque vultu ad ſeueritatem compoſito, Pontificio Nuncio, qui in ipſius Regia, per id tempus morabatur, grauibus verbis ſignificauit: quaſi Paulus, Siluio legato ad ſe miſſo, abrumpendo pacis cum Ioanne vinculo occaſionem offeret; cuius maximè ſubſidijs, ingraueſcente indies bello Gallico, indigebat. De quibus certior factus Pontifex, nullâ interpoſitâ morâ, ab incepto Legationis curſu Siluium Cardinalem reuocauit; & Epiſcopum Maſſæ, ac Populonij in Hetruria creauit, vt dolorem, quem is ex re infecta conceperat, aliqua ex parte releuaret. Itaque infelix rerum exitus docuit, idoneos ad Chriſtianos Principes mittendos Oratores, qui non tam authoritate, & magno rerum vſu, quàm gratia & virtute valeant: Altiſſimæ quippè Maieſtatum Arces ijs facilè cedunt, ac expugnantur. Eccleſiæ Maſſanenſis gu-

Vghell. in Epiſc. Maſſan.

bernacula per aliquot annos Michaël, secundâ optimi Antistitis famâ, tenuit.

Sedente Iulio III. P.P. S. Mariæ trans Tiberim Titulum optauit; eò libentiùs, quo maiori studio, ac pietatis sensu ab ineunte ætate Sanctissimæ Virginis obsequio se deuouerat; atque in eius maximè clientelam, fidemque confugerat: quod religiosi animi obsequium gratum Deipara habuisse videtur; cùm ex eo tempore, ad extremum vsque diem innumera in Michaëlem beneficia conferre non destiterit. Magnificas propè illam Basilicam Ædes fabricauit, quæ grauissimi Patris, & clarissimi Principis amplitudinem præ se ferrent; & fouendæ in Deiparam pietati, loci opportunitate, seruirent. Hîc vitam suauissimè ducere; litterarijs meditationibus indulgere; libeiùs Deo, ac sibi vacare; Deiparæ Basilicam frequentare; illius opem exposcere, ac præsentem sentire consueuerat tanto cùm animi fructu, vt tum demum se Christianum Philosophum agere fateretur. Confecta iam ætate grauis, in morbum incidit, quem sibi supremum fore præcognouit; cumque se ad mortem omnibus salutis æternæ præsidijs munijsset, placidissimè efflauit animam, 5. Iunij, anno à Partu Virginis MDLVI. Paulo IV. P.P. Max. Imperante, Carolo V. Regnante in Lusitania Ioanne III. Alij scriptores aliam obitus diem assignant, quorum sententias non probamus.

Ciaconius.

Felix Contelorius.
Sanderus.
Auberyus.
Seuer. de Faria.
Diarium.
Ciaconius.
Panuinius.

Ad S. Mariæ trans Tiberim ſepeliri voluit, vt ſuæ in Deiparam pietatis perpetuò extaret memoria: nullum tamen erectum ad Siluij nominis gloriam monumentum, nullave inſcriptio viſitur, quæ defuncti memoriam, ab obliuione tueatur: iniuriæ temporum, & hominum incuriæ imputandum, quòd Sepulturæ locus, & tanti Cardinalis memoria obliuione perierit. Exactam diligentiam adhibui, nec vnquam reperire potui Michaëlis Sepulturam: Abolita tamen memoria, præclaris ingenij monumentis abundè compenſatur: Multa pulchro dictionis nitore, & munditie compoſuit: Plura, Virgilij, & Martialis imitatione, carmina cecinit, quibus egregium, & nuſquam conſiſtens, & vbique loquens monumentum ſibi poſuit. Extat huiuſcemodi Epigramma S. P. Q. R. decreto, in Capitolio marmoreæ tabellæ inſculptum.

Quæ recenſet Franciſc. Maria Turrigius ex Iouio, Vghello, & Marliano in opere, quod edidit. de ſcriptoribus Cardinal.

Marmora præclaros teſtantia fronte triumphos,
Atque Magiſtratus inclyta Roma tuos.
In medio manſere foro, dum Roma manebas:
Poſtque Deos orbi iura ſecunda dabas.
Aſt vbi te indignis fregit fortuna ruinis,
Obruerat titulos alta ruina tuos.
Tamque diu in tenebris tantis latuiſſe videntur
His veluti fato debita temporibus:
Quæ modò Alexander patria te dignus, Atque

Paulo, inuenta tibi marmora restituit:
Tu Capitolinam meliori in sede reponis:
Et legeris Magni munere Farnesij.

Aliud non minùs tersum, concinnumque legitur apud Iouium in laudem Camilli Vitellij, Ducis clarissimi. In Titianum magni nominis Pictorem aliud circumfertur. Librum vnum edidit, *de Aqua Argentea*, aureis planè carminibus. Emmanuelem, felicissimum Lusitaniæ Regem, politissimis versibus laudauit. Plura M. S. S. apud viros eruditos reperiuntur, quæ publicam lucem non aspexerunt, graui cum reipublicæ litterariæ iactura. A summis P.P. Paulo III. Iulio II. & Paulo IV. magni habitus, propter eximiam nobilitatem, doctrinam, & probitatem. Comes Castellionius Librum, quem *de Perfecto Aulico* composuit, Michaëli Cardinali nuncupauit. Ianus Vitalis, nobilis Poëta, ita in illius laudem cecinit.

Iouius in Elog. Vitelly.

Comes Castellionius.
Ianus Vitalis.

Michael Siluius Cardinalis S. Marcelli
Lusitanus.

Pierides vestro iamdudùm assurgite Vati
Ex Helicone Deæ:
Et celebre insigni, & longè venerabile lauri
Cingite honore caput.
Non ille in Siluis, & propter lustra ferarum
Carmina culta canit.
Orbis at in medio circumplaudente theatro
Hic vbi fama viget;
Est illi sacra Silua Deis, vbi laurea scena

Delitias aperit.
Iam licet Aonios ſaltus, & barbara teſqua
Linquere, & omne nemus,
Quod ſibi habet Phœbus Parnaſſi in vertice, quodque,
Vos Heliconiades.
Nobilis hic Siluæ iamiam ſeceſſus amandus
Ciuibus Aſcra tuis.
Hîc nullæ inſidiæ; non hîc immanis adunco
Dente timendus aper.
Sed molles ſpirant Zephyri, per veris apricas
Semper olentis opes.
Hîc curuant plenos paſſim poma aurea ramos,
Dulcis & halat odor.
Hîc etiam ad liquidi dulciſſima murmura fontis
Dulcè queruntur aues.
Salue Silua Deis cultoribus inclyta, Salue
Vate ſuperba tuo.

De Michaele da Silua Cardinali, ſcripſerunt Panuinius in Paulo III. & Paulo IV. Ciaconius ſub ijſdem P.P. Petramellarius, in Elogijs. Antonius Sanderus, in Elogijs Cardin. decad. 4. Elog. 6. Felix Contelorius, p. 2. Elenchi S.R.E. Cardin. ſub Paulo III. Paulus Iouius, lib. Hiſtor. 42. pag. 555. & in Elogijs, pag. 167. Ferdinand. Vghellus, in Addit. ad Ciaconium: & in Italia Sacra ſub Epiſcopis Maſſæ, & Populonij. Auberyus, in Hiſt. Gen. Cardin. p. 4. pag. 40. Nicolaus Orlandin. S. I. lib. 5. Hiſtor. Societ. n. 27. Andreas Victorellus,

Victorellus in Addition. ad Ciaconium, ſub Paulo III. Bartholom. Marlianus, & Franciſcus Maria Turrigius lib. de Cardinalibus ſcriptoribus, lit. M. pag. 38. Filliucius, in Elogijs M. S. S. Garibay, in Hiſtor. Luſit. Sfortia Pallauicinus, in Hiſt. Conc. Trid. lib. 5. c. 2. p. 1. & cap. 1. n. 4. & 6. Bibliotheca Hiſpana tom. 3. pag. 527. Sleidanus lib. 15. initio. M. Anton. Flaminius lib. 5. Petrus Sanchez, in Epiſt. de Poëtis Luſitanis, Iacobus Mendez Vaſconcellius, lib. de Antiquit. Luſitan. pag. 271. Emmanuel Seuerinus de Faria lib. de Cardin. Luſit. Andreas Reſendius, in Genethliaco Princip. Luſitan. Emmanuel de Faria Souſa, in Epitome Hiſt. Luſitan. p. 4. cap. 18. Acunha, in Chron. Emmanuelis Regis Luſit. p. 4. c. 20. in Hiſt. etiam Eccleſ. Brachar. p. 2. c. 8. n. 9. Damianus de Goes, in Chron. Emmanuelis Regis p. 4. c. 1. Antonius de Souſa Macedo, in excellent. Luſit. c. 23. Excell. 3. Chronic. Ioannis III. Reg. Luſit. Anton. Vaſconcellius, in deſcript. Luſitan. Balthaſar Tellez S. I. in Chron. Societatis I. Luſitan. lib. 1. c. 25. à n. 1. Antonius Florebellus, in vita Cardin. Iacobi Sadoleti. Franciſc. Belcairus, in Commentar. Rer. Gallic. lib. 23. anno 1543. n. 25. Ioannes Francus Barretus, in Biblioth. Luſitana. Spondanus, tom. 2. Annalium Eccleſ. ad Annum 1542. n. 12. Nomenclator Cardinalium, Lilius Gregor. Gyraldus, Abbas Iuſtinianus in ſua Bibliotheca Cardin. ſcriptor. propediem typis mandanda.

Siluiæ Gentis Stemma,
Leo puniceus, in pedes erectus, cum exiliens, ac dextram versùs ſe proripiens in argenteo valuulo.

Kk

Pavlo III. P.P.

Anno 1545.

HENRICVS DE PORTVGALLIA,

ARCHIEPISCOP. BRACHARENSIS, Eborensis, & Vlysipponensis, Cardinalis SS. quatuor coronatorum, Rex Lusitaniæ.

Acunha in Hist. Arch. Brach. parte 2. c. 24. Damian. de Goez. in Chron. Reg. Emman. parte 3. c. 27. Balthas. Tellez. S. I. parte 2. Chron. Prou. Lusit. lib. 5. c. 28. Anton. Vasconcell. S. I. Anacephal. xxi. Emman. Seuerin. de Faria de Cardin. Lusit. §. 4.1 Hieron. Osorius Episc. Silu. De rebus Emman. Reg. Auberyus parte 4. pag. 141. Ludou. Donius d'Attichy. in Florib. Cardin. tom. 3. pag. 293.

EMANVELEM felicissimum Lusitaniæ Regem, patrem habuit; Matrem verò Mariam, Ferdinandi ac Elisabethæ, cognomento *Catholicorum* filiam. Vlysippone in lucem venit pridie Kalend. Februarias, anno post Virginis partum M. D XII. quo die magna niuis copia è cælo cecidit, quod raro illa in Vrbe contingit propter summam aëris temperiem: & felix, faustumque Puero nascenti omen habitum est. De prima illius pueritiâ id certò constat, compositis ad modestiam & pietatem moribus fuisse, indole excelsâ, ingenio ad virtutem docili, ad litteras comparato. Latinis primùm, Græcis, & Hebraicis eruditus: Mox in Philosophiæ, & Theologiæ studium incubuit: postremò

Matheſeos diſciplinis operam nauauit, præceptore vſus Petro Nuñez, magni nominis ea tempeſtate Mathematico. Adulta iam ætate, Sacrorum Librorum lectioni vacare, idonea ex ijs documenta elicere; & in codicem referre, pietatis, & memoriæ causâ conſueuit. Sanctorum maximè Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lectione oblectabatur; quæ ita legentis animum rapiebat, vt ægrè ad alias occupationes vocatus, inde auelleretur. Extant lucubrationes quædam ex Euangelijs anni currentis decerptæ, quas Henricus ad proprium vſum in Homilias apto ordine digeſſit: & Ludouicus Granatenſis ex Prædicatorum familiâ, vir egregiè pius ac doctus, Luſitano ſermone typis mandari curauit. Collegium poſteà Eborenſe S. I. Latino idiomate donauit, vt ad alias quoque gentes tanti Principis memoria cum pietate peruaderet.

Anton. Sanderus in Eleg. Card. decad. 1. Elogio 8. Iongelin. Abbas in Purpura D. Bernardi.

Annum agens decimum quartum, aſſumpto Clerici habitu, Ordini Eccleſiaſtico nomen dedit. Magnus S. Crucis Conimbricenſis Prior declaratus, Regium illud Cœnobium antiquitate venerabile, & magnificentiâ auguſtum, ad prioris regulæ obſeruantiam, & ſeuerioris diſciplinæ normam reuocauit: nouâ quadam formâ, facieque inductâ.

Ludouicus Henrici frater natu maior, egregiæ indolis Princeps, & bellicæ laudis inprimis appetens, ingruente infeſtis in Hungariam armis

Solimano Turcarum Imperatore, anno M. DXXXII. Carolo V. cognato suo, contractis Lusitanorum militum copijs, auxilium ferre; & prælio, si fortè committeretur, interesse decreuit. Cæterum collectus aduersus Turcas exercitus & alacris ad pugnandum impetus euanuit, Solimano Christiani exercitûs famâ & terrore perculso, Constantinopolim secedente, Cæsari posteà Tunetano bello intento, iusta viginti quatuor nauium classe affuit, anno M. DXXXV. In his videre erat immensæ molis rostratam (Igneum Galeonem dicebant) æneis tormentis ducentis, & omni bellico apparatu instructissimam. In bellorum sumptus, quæ Henricus sacra esse ducebat, ingentem vim præsentis pecuniæ contulit.

Anno 1532. Defuncto Iacobo de Sousa, Archiepiscopo Bracharensi, Hispaniarum Primate, Clemens VII. P.P. Max. qui Emmanueli, Regi Lusitaniæ de Rom. Ecclesia optimè merito gratificari vehementer optabat, Henrico annum vicesimum secundum agenti, illius Ecclesiæ munus, onusque demandauit. Bracharam Augustam, nullâ interpositâ morâ, se conferre constituit: Verumtamen graues, & variæ occupationes inciderunt, quæ mentem aliò auocarunt: hæsitque Eboræ annis aliquot, publicis Regni curis distentus: ijs demùm expeditus, alacer itineri se commisit. Bracharæ communi omnium Ordinum gaudio, & gratulatione exceptus est.

Primùm omnium ad instaurandam Ecclesiasticam disciplinam, quam temporum iniuria, & hominum nequitia corruperat, animum appulit: cœteris ipse præire exemplo; opportunas adhortationes adhibere; Synodos cogere; Sanctissimas Leges condere; idoneos verbi Dei præcones deligere; qui de rebus diuinis ad populum dicerent, & publicis monitis ad pietatis studium Christi Fideles accenderent; domesticæ rei angustijs oppressos eleemosynis subleuare; Xenodochia præsens inuisere; ingentes pecuniæ summas ijs deferre; eam viuendi formam in Bracharensem Ecclesiam inuehere, quæ primitiuæ Ecclesiæ faciem, speciemque referret. Soluta admodum disciplinâ, viuebant nonnulli Sacri Ordinis homines, amplis Sacerdotijs opulenti, quos ipsa rerum affluentia præcipites in omnem licentiam agebat. Hos in officio contineri magni ad publicam vtilitatem intererat; quippe quorum dicta, factaque ad exemplum cœterorum, perniciemque valerent plurimùm. In illorum igitur mores, ac vitam inquisiuit; & seriò admonuit, vt errata corrigerent; castéque, ac sanctè viuerent: Tantumque Henrici verbis pondus inerat, vt confestim ad eius pedes abiecti, erratorum veniam suppliciter peterent; & ad meliorem frugem se reciperent. Non tantùm benignè Archiepiscopi munere, ac dignitate fungebatur; sed vulgaris Ministerio Sacerdotis, Parochi partes, nomenque implebat: Con- *Anno 1537.*

fessiones excipiebat; Sacram Eucharistiam languentibus ministrabat, eosque humanissimis consolabatur verbis. Subdi prælo imperauit Lusitano sermone librum, cui *Sacramentale* erat inscriptio, Authore Clemente Sancio, Presbytero Legionensi, in quo de Fidei Christianæ mysterijs, & Ecclesiæ Sacramentis doctrina accuratè tradebatur: cuius lectionem Paræciarum Rectoribus maximè commendabat, quâ ad iniuncti sibi officij curam, onusque perfectè sustinendum, erudirentur.

Prouinciam Bracharensem, quæ longissimè excurrit, & mille supra quingentas Paræcias numerat, per se obire voluit. Singula ferè oppida, quorum erant multa longis interuallis inter se disiuncta, itinere interdum difficili, ac impedito, non sine ingenti animarum lucro institit percurrere, raro ad posteros pastoralis sollicitudinis & paternæ caritatis documento. Frequentiorem Sacræ confessionis, & Eucharistiæ vsum vbique induxit. Prauas consuetudines sustulit; optimas inseruit. Infimam plebem, puerosque per singulos pagos Christianæ doctrinæ rudimentis imbui curauit. Supellectilem argenteam & holosericam Sacris pro dignitate faciendis, Ecclesijs egentibus, insigni liberalitate distribuit. Perfecti denique Pontificis in procuranda, tuendaque commissa sibi populi salute nomen, & munus impleuit.

Prouinciæ Interamnensi, cuius Metropolis est

Brachara Augusta, graui annonæ caritate laboranti, omni sibi ope subueniendum putauit. Ingentem inprimis pecuniæ summam in pauperum alimenta largitus est: deinde viros probos, industriosque præposuit, qui publicis necessitatibus prospicerent, pagos percurrerent, & dispersa per agros mapalia, domosque adirent; fame confectos cibis reficerent; darentque operam, vt è Gallia, Belgioque onustæ frumento naues in tempore aduenirent: atque hunc maximè in modum frumento aliunde conuecto, & liberaliter distributo, annona laxauit.

Defunctâ præsenti periculo Prouinciâ, ad gerendam, ornandamque domi rempubl. totum se contulit. Multa ab alijs Pontificibus incepta, & imperfecta suscepit, & ad vmbilicum perduxit. Templa vetustate collapsa erexit, & pristino nitori restituit. Primariam Bracharæ vrbis Basilicam ornatu mirifico, ac pretioso instruxit, vt augustiore quàm anteà ritu, diuina officia peragerentur. Plura ad communem ciuium vtilitatem fabricauit. Pontes refecit. Fontes artificioso opere in medium platearum, & qua latiùs sese aperiunt fora, aqua deriuatâ, induxit. Vrbem amœnitate arborum, & aquarum scaturigine recreauit. Augustam Bracharæ faciem, & speciem reddidit, vt Augustæ cognomen vrbis ædificiorum pulchritudini, ac Maiestati responderet, & quàm lateritiam inuenerat, marmoream constitueret.

Vt erat litterarum ſtudioſus, & litteratorum Mœcenas, amplum Bracharæ Gymnaſium inſtituit, ad quod ex tota Prouincia Interamnenſi Scholaſtici, ſtudiorum causâ, confluerent: & magnis propoſitis præmijs, ſtipendijſque, præſtantes euocauit è Belgio, Anglia, Galliaque Magiſtros, qui Luſitanam iuuentutem optimarum artium præceptionibus excolerent, ſanoſque cum lacte doctrinæ mores pueris inſtillarent. Inter alios diſciplinarum Profeſſores Ioannes Varæus, Belga, cenſebatur, editis *de Rebus Hiſpaniæ* commentarijs clarus: & Nicolaus Clenardus Litteris Hebraicis, Græcis & Latinis apprimè eruditus, qui, procedente die, Salmanticæ magna nominis celebritate humaniores litteras docuit. Varæus certè Henricum, Principem ad ornandam virtutem natum, ſummis laudibus extollit.

Anno 1539. Anno M. DXXXIX. Paulus III. PP. Henrico detulit ſupremam in cauſis fidei præfecturam (quæſitorem maximum in Luſitania, & regionibus illi ſubiectis appellant) qua ſponte ceſſerat Iacobus da Silua, Septæ Epiſcopus, vrbis in Mauritania Tingitana, qui ſe Primatem Africæ inſcribebat; vt maior illi Tribunali authoritas, & religio adderetur. Initio Præfecturæ, opus fuit grauiſſimas ſuperare difficultates, quas nonnulli diabolicis acti furijs, & quæſitorum ſeueritate deterriti, Romæ opponebant, vt recens exortum, & tenerum adhuc in Luſitania inquiſitionis Prætorium

præforarent.

præforarent. Sed Diuini numinis prouidentiâ, & Ioannis Lusitaniæ Regis authoritate, & Henrici consilio, calumnijs penè oppressa extulit sese Fidei causâ; & Iudæorum machinamenta in maius Tribunalis decus, & incrementa cesserunt: erecto Vlysippone, vt in Arce Regni, supremo Inquisitionis Concilio; delectis ab Henrico viris nobilitate, doctrina, & vitæ integritate conspicuis, qui Iudices incorruptos in Fidei causis agerent, Eboræ, & Conimbricæ in Lusitania; in vrbe item Goa, Orientalis Indiæ Metropoli, alia, tuendæ religionis gratiâ, prætoria instituta. Ad Africæ Arces, Asiæ, Americæque emporia, ad insulas Oceano fusas mari, ditionis Lusitanæ, religionis censores & fidei vindices misit, qui causas ritè cognoscerent, & in hæresum reos graui supplicio animaduerterent. Quod vnicum fuit seruandæ in Lusitania Catholicæ religionis puræ & illibatæ remedium, gliscente eo maximè tempore per alias Europæ Prouincias hæresi Lutherana, grassanteque malo quotidie latiùs.

In errorem lapsus est Paramus, quem nonnulli externi scriptores secuti sunt: A quodam namque Saauedra S. Inquisitionis iudicium in Lusitaniam primò inuectum scribit: Cæterum id apertè repugnat constanti omnium Lusitanorum sententiæ, & quod caput est, litteris Apostolicis, de illius erectione datis à Paulo III. ad Ioannem III. Regem Lusitaniæ. Decipi frequenter aliarum

Ludou. Paramus.

Paulus III. in litt. dat. 26. Maij an. 1536. & 1.. Augusti an. 1547.

gentium ſcriptores in tradendis Luſitanorum rebus, & harum ignoratione laborare compertum eſt: id tamen non tam externorum vitio, quàm noſtrorum incuriæ imputandum, qui patriâ linguâ, cuius illi periti non ſunt, ferè ſemper ſcribunt. A Beatrice da Silua, pijſſima Virgine Luſitana, monitum Ferdinandum, cognomento Catholicum, vt illud in Caſtella Tribunal erigeret, idonei ſcriptores teſtantur, Gonzaga, Italus, Franciſcus Macedo, & Antonius de Souſa Macedo, Luſitani.

Fr. Franciſc. Gozaga in fundat. Menaſt. Concept. Toletan.

Fr. Franciſc. de Macedo in Propugn. p. 1. pag. 82. & 83.

Anton. Souſa Macedo, in excell. Luſit. cap. 9.

Ab Eccleſia Bracharenſi ad Eborenſem Henricus tranſijt, quam in eius gratiam Paulus Pontifex ad Metropolitanæ dignitatem euexit, anno M. DXL. vt conſtat ex litteris Apoſtolicis, quæ in Eborenſi Tabulario aſſeruantur. Aubertus Miræus, Georgius Cardoſo Archiepiſcopatum inſtitutum eſſe affirmant anno M. DXLI. Facilè vtramque ſententiam conciliabimus, ſi dicamus, priori anno litteras erectionis, Romæ expeditas: poſteriori, Eboræ publicatas. Eamdem, quam Bracharæ tenuerat viuendi rationem, Eboræ ſeruauit, niſi quod in maiori opum affluentia (ſuprà ſeptuaginta numorum aureorum millia in annuos prouentus numerat Eccleſia Eborenſis) pinguiores eleemoſynas erogabat. Sacras piorum hominum familias impensè coluit. Societatem inprimis Ieſu, quam paucis antè annis in Luſitaniam euocauerat, & peramanter exceperat Rex Ioannes, Henrici frater, ampliſſimo ei Collegio Co-

Tabular. Eborenſe.

Aubert. Miræus lib. 4. c. 13. pag. 192.

Cardoſo, in Agiolog. tom. 1. initio §. 6.

Fr. Franciſc. Macedo in Propugn. p. 1.

nimbricæ constituto, quod esset, & virtutum, & litterarum nobile theatrum, & Euangelij præconum seminarium; quo nullum in Europa vel magnificentius, vel religiosius, vel opulentius inuenitur. Igitur Henricus Eboræ de nouo Societati Collegio ponendo cogitauit. Amplam initio domum Socijs assignauit, quæ breui in eam magnitudinem excreuit, vt Conimbricensi penè par, æmulaque euaserit: Melchiore Carnerio, primo Collegij Rectore declarato, excellentis doctrinæ, ac probitatis viro, qui posteà Episcopi Niceni in Æthiopia, dignitatem adijt, non alijs, quàm multorum laborum vectigalibus instructam. Ornatissimum templum idoneo situ ædificari præcepit, quod pretiosis è solido auro, argentoque donarijs locupletauit. Insignem Academiam Collegio adiunxit, præstantissimis è Societate Magistris, ad Transtaganam iuuentutem moribus ac litteris imbuendam, adhibitis. Aliud à Purificata Virgine illustre Collegium eadem in vrbe condidit; in quod externi Theologi, nonnisi probatæ doctrinæ, ac virtutis, præuijs Præceptorum suffragijs, cooptantur. Proprium item domicilium alendis, curandisque pauperibus studiosis, magno sumptu struxit; quod non modò necessarijs, verumetiam copiosis ad victum, medicamentaque, vectigalibus dotauit. Vlysippone, magnificum Collegium, cui à S. Antonio nomen est, S.I. collocauit. Dispersa per amplissimam vrbem studia in vnum ibi ly-

cæum collegit, inquo grauiores diſciplinæ cum amœnioribus litteris traderentur. Vetuſtum Roriſij Monaſterium à Benedictinis relictum, de Pontificis conſenſu, Collegio Bracharenſi, cum redditibus attribuit. In Conimbricenſe, Portuenſe, & reliqua ferè Collegia beneficia conferre, quandiu vixit, non deſtitit.

Neque his ſe terminis continuit Henrici munificentia. In cæteras quoque religiones ſeſe effudit: lucis inſtar, quæ eò illuſtrior habetur, quò ſe magis communicat, & effundit. Abbas olim Alcobatiæ creatus, regium illud Cœnobium magna ex parte refecit. Ambitus columnis marmoreis, pulchro ordine diſcurrentibus cinxit. Pergulas in arctum coeuntes, vt vberiorem lucem exciperent, laxauit. Totum ſic ornauit Cœnobium, vt cum ſtructura & ornatu ſplendor & pulchritudo certarent. Conimbricæ à *S. Bernardo* Collegij, author fuit, & Abbatiæ S. Pauli, primo ab ea vrbe lapide disjunctæ, modò extinctæ, redditus aſſignauit, quò iuſtæ dotis ratio Monachis alendis conſtaret. Sacris Virginibus Parthenonem in oppido Coia inſtituit. Minoritis plura per Luſitaniam domicilia poſuit. In horum Valliſviridis propè Eboram Conuentum, amœnâ admodùm valle ſitum, vt ipſum nomen indicat, interdum ſecedebat, vt ibi ab ſtrepitu vrbano remotus, & publicis curis vacuus, liberiùs Deo, & ſibi vacaret; & ſua-

uiſſima de rebus cæleſtibus cum religioſis viris miſceret colloquia, & ſumma animi tranquillitate frueretur. In maximo Eboræ circo, illuſtri & conſpicuo valde loco, eleganti ſtructura Baſilicam D. Antonio dicauit, cuius facies in circum verſa inſcriptionem maioribus inciſam litteris præfert; quæ Henricum operis Authorem teſtatur: Paræcia eſt, non Monaſterium vt ſcripſit Donius d'Attichy. Monaſterium quidem D. Antonij extra vrbis muros fundauit, quod incolerent Franciſcani ordinis fratres, à *Pietate* nominati. *Ludou. Donius d'Attichy tom. 3. An. 1546. pag. 297.*

Anno M. DXLV. die Mercurij, 16. Decembris, Paulus III. nona creatione, Henricum Cardinalem creauit tit. S. S. quatuor Coronatorum, vt conſtat ex Pontificio diplomate dato hac die, menſe, & anno; quamquam Panuinius, Ciaconius, Acunha, Tellez, exiſtiment creatum anno M. DXLVI. Nobiſcum tamen ſentit Auberyus, Seuerinus de Faria, & Contelorius, qui rem diligenter examinauit, & Spondanus an. 1546. n. 4. Tellez ſcribit habuiſſe primùm, titulum S. Crucis in Hieruſalem, quem poſteà mutauit in S. S. quatuor Coronatorum anno M. DL. Cæterùm, vnum hac in ſententia Tellium eſſe comperio: reliqui, titulum ſolùmmodò *Coronatorum* Henrico attribuunt. Quibus plenam fidem faciunt litteræ Apoſtolicæ, hac de re à Paulo datæ. *Anno 1545.* *Panuinius & in Paulo III. Ciaconius. Acunha, c. 75. §. 3. Tellez, p. 2. l. 5. c. 29. Aubery. p. 4. pag. 141. Contelor. ſub Paulo III. Seuerinus §. 14. Tellez.*

Paulo verò demortuo, anno M. DXLIX. Sacri

Nauarrus, in Manueli. Acunha cap. 75. Andrada, in Chronic. Ioan. Reg. p. 4. c. 55. Tellez c. 29. l. 5. n. 11.

Collegij Patres de Henrico Pontifice eligendo, seriò agitarunt. Multa pro illo in Comitijs suffragia lata esse testatur Nauarrus, Acunha, Andrada, & Tellez. Neque ingrata videbatur Carolo V. & Francisco Galliæ Regi, Henrici ad Pontificatum promotio. Nimia tamen Lusitanorum modestia ad religionem composita, rem disiecit. Post longas consultationes, Pontifex demum renunciatus est Iulius III. à quo Henricus Legatus à latere declaratus in Lusitania, & subditis Lusitanorum imperio Prouincijs.

Anno MDLVII. vita functo Ioanne III. Catharina Austriaca, illius coniux, Caroli V. soror, Regni administrationem testamento sibi à Rege demandatam suscepit, & quò meliùs illa procederet, Henricum, cuius fidei, ac prudentiæ plurimùm deferebat, tantæ prouinciæ sustinendæ sibi adiutorem adsciuit. Procedente tempore, humanarum rerum tædio affecta, & grauiorem etiam valetudinem, ac ætatem causata, publicam rerum administrationem deposuit, quam Henricus omnium Regni ordinum suffragiis sibi delatam, solus inijt; rexitque, donec Sebastianus immaturâ ætate Princeps, tractandis Imperij habenis fuit idoneus. Sexennium Henrici procuratio tenuit, non sine ingenti bonorum omnium approbatione; quam externorum quoque Principum gratulationes exceperunt. Vnum inter cætera illius nominis gloriam maximè il-

Anno 1562.

lustrauit. Munitissimam à S. Iuliano Arcem, ad Tagi fluminis ostia, decimo ferè ab Vlysippone lapide, Oceano imminentem condidit, quâ mare in angustas fauces coit, & breuissimum traiectum reddit; per quem & subeuntibus portum nauibus, & è portu soluentibus omninò transeundum: atque opportunè, ne armatis hostium classibus vrbs pateret, firmissimâ ibi Arce impositâ, fluminis ostia clausit, & æneis tormentis instruxit, vt si quæ irrumpere in vrbis portum hostiles naues audeant, certis ex Arce tormentorum ictibus cominùs petitę, mancę ac lacerę vix subsistant; vel ferreis globis perforatę deprimantur. *Acunha citat. Tellez c. 30. n. 10.*

Fato intereà concessit Ferdinandus Vasconcellius Comitis Penellæ filius, Archiepiscopus Vlysipponensis. Huic à Pio IV. Henricus subrogatus, vt in vrbe Regni Principe commodiùs gubernaculis assideret, & publico bono consuleret. Non multò post Sebastiano maturam iam gubernando Regno ætatem assecuto, solemni ritu gubernacula tradidit, anno M. DLXVIII. die 20. Ianuarij, qua Sebastiani M. anniuersaria festiuitas celebratur. *Anno 1568.* Ipse, annuente P.P. Pio V. ad Eborensem Ecclesiam rediit, Antistite per id tempus destitutam; atque in Societatis I. Collegio abs se magnificè condito, certam, ac propriam sibi sedem delegit.

Pergulam regio sumptu construi iusserat, elegans

Collegij additamentum, quæ à *Cardinale* nomen desumpsit; ædificatis ex altera parte cellulis; ex altera apertis ad amœnissimum prospectum fenestris, in hortos fontibus irriguos, citris, limonijs, malisque aureis opulentos; in subiectam camporum planiciem floribus, & frugibus conuestitam. Hac in sede paucis quotidianæ vitæ administris suauissimè, ac sanctissimè viuere instituit. Porrò hanc fermè viuendi formam sibi præscripsit. Manè vt primùm euigilabat, iustum rerum cælestium meditationi tempus dabat. Mox Horarum pensum reddebat; deindè rem diuinam magno pietatis sensu faciebat. In agendis peracto sacrificio, Deo Opt. gratijs, moram satis longam trahebat. Publicis posteà rebus, audiendis supplicibus, & legendis libellis vacabat. Sub meridiem mensæ accumbebat, non regio luxu, aut pretiosis dapibus affluenti, sed Christiana frugalitate castigatæ, quam sacra librorum lectione condiebat, ne illo etiam tempore, quod necessariæ corporis sustentationi impenditur, animus ab honestis actionibus feriaret. A prandio, remissionis causâ, de rebus haud ita serijs cum familiaribus sermones habebat (ea erat humanissimi Principis oblectatio) inde ad audiendos iterum supplices, & subscribendos, vel expediendos libellos se referebat. Nullam diei horam otiosè elabi patiebatur: ijs potissimùm rebus intentus, quæ ad Pastoralis officij curam, onusque pertinent. Vno verbo

verbo cuncta complectar. Religiosum, non Principem agere videbatur. Diœcesim Eborensem lustrari voluit per Andream Ouiedum S. I. singulari pietate Episcopum, qui posteà inter Æthiopes Patriarcha, in summa rerum omnium penuriâ, & grauissimis laboribus vitam tolerans, tandem multis clarus virtutibus, ex hac vita migrauit. Idoneos престereà Euangelij præcones identidem submittebat, qui pueros, plebemque Christianis præceptionibus excolerent; & omnium ordinum mortales ad pietatis studium cùm verbo, tum exemplo incitarent. Hebdomadæ sanctæ dies totus ad mœrorem compositus in lacrymis consumebat. Diuina quæque officia singulari religione, & grauitate obibat. Pauperum duodecim pedes, Christi Seruatoris morem imitatus, non sine lacrymis, abluebat.

Illud in Henrico eximiæ pietatis argumentum fuit. Archiepiscopalem fortè Aulam Eboræ repentinus ignis corripuit, iamque cubiculum ipsum, in quo dormire consueuerat, flamma depascebat, cùm nullus è domesticis Seruatoris è Cruce pendentis effigiem, quam allambebat ignis iam iam voraturus, eriperet, ipse maioribus accensus flammis, in ignem se coniecit, eumque arreptum incendio liberauit, eò illustriori facinore, quò certiori periculo. Extat in Collegio Eborensi Crucifixi Imago, tanti facinoris munimentum, quod magni nominis Poëtæ poli-

Alij id Almeirini contigisse narrant.

m

tiſſimis carminibus celebrarunt. Vnum ex ijs ſeligo Epigramma, authore Emmanuele Pimentâ S. I. indè in reliqua iudicium ferendum.

Ad. Henricum Regem & Cardinalem,
Ob ereptam ex incendio Regij Palatij
Crucifixi Imaginem.

Suſtulit Æneas flamma ex ardente Parentem,
Iliacas flammæ dum populantur opes:
Suſtulit Henricus pietate inſignis Ieſum,
Corripit auguſtas dum vaga flamma domos.
Huius,& illius, magnum diſcrimen ab igne,
Suſtulit hic hominem, ſuſtulit ille Deum.

Dum hæc Henricus Eboræ in ſumma rerum tranquillitate agit; Vlyſippone Rex Sebaſtianus ardenti bellicæ laudis ſtudio religiosè inflammatus, in Africam omnes animi curas intenderat; opportunam inferendi belli occaſionem nactus. Venerat ex Africa in Luſitaniam Seriphus Mulei Mahumetes, ab Mulei Abdemelecho patria, & regno pulſus, rogatum auxilium, vt regnum paternum recuperaret. Sebaſtianum ad bellum Africanum aggrediendum iam pronum, Mauri aduentus, admotis veluti calcaribus, vehementiùs incitauit. Confeſtim magni per Luſitaniam militum delectus fieri: externi, propoſitis præmijs, duces inuitari; parari arma; claſſis inſtrui; commeatus in vrbem importari. Sebaſtianus, nil niſi bellicum ſpirare, Affricam diu, noctuque animo voluere. Henricus officij ſui eſſe duxit, Re-

gem ab armorum ſtrepitu ad pacis ſtudia reuocare, & feroces iuuentutis impetus maturis conſilijs temperare, ne ruentis ad interitum particeps eſſe videretur. De contrahendis priùs nuptijs ſeriò cogitaret, admonuit, ac filijs procreandis, quas ſuarum virtutum, & Regni hæredes relinqueret. Alieno prorſùs tempore Africum bellum ſuſcipere, cùm ab vnius vitâ publica Luſitaniæ ſalus, felicitaſque penderet. Illo cadente (varios quippe eſſe belli euentus) totam etiam Regni molem, quæ eius humeris innitebatur, ruituram. Probi Imperatoris non eſſe aliena regna appetere & proprium periculis obnoxium relinquere. Cæterùm Sebaſtianus neque Henrici conſilijs, neque ſuperûm oſtentis, quæ per eos dies viſa ſunt; neque piorum hominum precibus è ſententiâ dimoueri potuit. Iuſto collecto exercitu, in Africam tranſmiſit anno M. D. LXXVIII. die IV. Auguſti, inito cum Mauris prælio, innumerâ Barbarorum multitudine circumuentus, fortiſſimè dimicans, ſi vera eſt fama, vulneribus confoſſus occubuit: magna pars exercitus ferro conciſa, pars in ſeruitutem abducta. Huiuſce cladis nuncius in Luſitaniam perlatus dici non poteſt quantùm lacrymarum, ac doloris exciuerit, quæ nos ſilentio committimus, ne anteacti temporis memoriam refricare videamur.

Coactis Regni Comitijs, de ſummâ rerum conſultationes haberi cæptæ. Conſtantibus om-

nium Ordinum suffragiis Henricus successor est Lusitaniæ declaratus, quòd vnicus superesset Regis Emmanuelis filius, & magnus Sebastiani patruus. Agebât tum annum sexagesimum sextum. Florentem viribus & ætate iuuenem, confecta iam ætate senex, Regem excepit: quo liquidò apparuit, quanto in discrimine res Lusitana versaretur. Anno M.DLXXVIII. Vlysippone, solenni ritu Rex salutatus, præstitum sibi à Regni ordinibus fidei Sacramentum recepit. Regiam coronam capiti imponi recusauit, quod Sacra iam erat decoratum. Neque Attalica indui veste voluit, ad talos vsque, regio more, demissa, & in longum tractum verrentis auro solum Syrmatis effusa, quam Reges solent induere, cùm inaugurantur; Togâ Pontificiâ contentus;. Prætento tantùm manibus sceptro, Procerum reliquijs, quæ ex Africa clade supererant, comitatus, & immensa populi multitudine circumfusus, in Regiam rediijt. Mox ad subleuandam vtcumque Rempubl. graui ærumnarum pondere oppressam, animum curasque conuertit, quam orbam ac debilitatam dolebat, ceu nauem amisso rectore ventis, & fluctibus agitatam, laceramque. Viduis, & pupillis consuluit, quorum maritos, & parentes vel fatalis clades abstulerat, vel Barbara regio captiuos detinebat. Legatum in Africam misit ducentis aureorum millibus instructum, vt nobiliores redimeret. Postea reliquam etiam capti-

uorum turbam è seruitute liberauit.

Vna maximè *de Regni successore* cura Henricum dies noctesque torquebat, quod fatali multorum Principum studio, & ambitione petebatur. Quinque præcipui competitores erant, qui superstite adhuc Henrico, à Sebastiani obitu, cæperant de iure Successionis contendere. Catharina Princeps, Ioanni Brigantino Duci nupta, infantis Eduardi filia, Regis Emmanuelis neptis, stirpe, domo, patria, thoro Lusitana. Philippus II. Rex Catholicus ex Elisabetha Henrici sorore, & Emmanuelis maiore natu filia genitus. Philibertus Emmanuel Dux Sabaudiæ, ex Beatrice, altera Emmanuelis minore filia natus. Raynutius Farnesius, Parmæ Dux, ex Maria, Eduardi item Henrici fratris seniore filia natus. Antonius, Magnus Crati Prior, Ludouici, fratris Henrici filius illegitimus. Accessit Catharina, Regina Galliæ, Henrici II. vidua, & Angliæ Regina Elisabetha. Nec deerant qui Pontifici Romano litem adiudicarent, quasi Lusitania spolij Cardinalitij rationem indueret, & ad sedem Apostolicam pertineret & quia Alphonsus I. confirmato ab Alexandro III. Regis titulo, Lusitaniam, Petro Apostolorum Principi deuouerat.

Vt impendentibus reipubl. malis Henricus tempestiuè occurreret, Regni ordines Vlysipponem ad Comitia conuocauit, anno M. DLXXIX. sed quia fœda lues vrbem inuasit; Almeirini

(in aduersæ Tagi ripâ oppidum est) conuenerunt. Singuli Principes iuris sui momenta, & rationes, quibus ad sceptrum Lusitaniæ obtinendum nitebantur, per idoneos Procuratores exposuerunt. Vltrò, citróque disceptatum satis. Nec quicquam certò in magna sententiarum, & studiorum varietate definitum. Re infecta, à Comitijs discessum. Gubernatores tantùm designati, qui litem de Regni successione dirimerent; si Rex antequàm decederet, legitimum successorem non declararet.

Furente interim populo, & magnis dissentionum motibus fluctuante Lusitania, Henricus curis anxius, annis grauis, morbis obnoxius, dum dubius hæret; dum fluctuat apud se; neque sua de Regni successore consilia explicat; neque certam sententiam profert, maiora in diesturbæ incrementa capiebant. Alij Catharinæ Principi; Antonio alij; plures Regi Catholico studebant: cui pronum erat, defuncto in Africa Sebastiano, accisis viribus, exhaustis opibus, scissis in factiones ciuibus, Lusitaniam armatis classibus inuadere, ac subigere. Henricus tantæ curarum moli sustinendæ viribus impar, succubuit graui morbo oppressus: lecto affixus extrema Lusitaniæ fata, & sibi vltimam instare diem præcognouit. In se collectus, rerum mortalium curas abiecit; ad æternas animum reuocauit. Cunctis deinde quæ ad salutem Christus instituit, præsidijs se muni-

uit? conſcientiam diligenter luſtrauit, confeſſione crebro repetita: Euchariſtiæ viaticum ſumpſit; Sacro oleo ad extremam luctam vngi voluit: ità ſe ad vitæ exitum comparauit, ac ſi mortem præ oculis ſemper haberet. Multis lecto aſſidentibus viris pijs, & religioſo ritu orantibus, oculis in Crucifixi imaginem intentis, diuinis ſemet confirmans verbis, placidiſſimè efflauit animam die vltima Ianuarij anno à Chriſto nato M. DLXXX. Gregorio XIII. P.P. Max. Imper. Rodulpho II. Eo temporis puncto, quo magnum luna deliquium patiebatur: quo deſinente, viuere deſijt. Vltima Ianuarij die natus Vlyſippone; vltima item mortuus Almeirini, quaſi mortis exitus vitæ initio reſponderet; eademque dies lucis vſuram concedere, ſimul & auferre videretur. Almeirini, temporario monumento conditus eſt. Nobile è candido marmore Mauſolæum ſibi ponendum curauerat in Templo Collegij Eborenſis S. I. huiuſmodi Epitaphium Sepulturæ inſcriptum huc viſitur.

Henricus Emmanuelis Luſitaniæ Regis
& Mariæ pijſſimæ Reginæ filius
S. R. E. Cardinalis.
Perpetuus Apoſtolicæ ſedis à latere Legatus
Et huius Regni venerabilis Inquiſitor.
Ex Bracharæ Auguſtæ Archiepiſcopo
Neceſſarias ob cauſas primus Eborenſis,
Deinde Vlyſipponenſis,

Ac rursum Eborensis Archiepiscopus:
Cœnobij Alcobatiensis,
Ac S. Crucis Conimbricensis Commendatarius.
Excellens omnis memoriæ Princeps.
Sepulturæ locum hunc sibi viuens elegerat,
Quia vbi Numinis fauore
Non parum aliorum consuluerat saluti,
Ibi animæ suæ.
Per continuata sacrificia, & preces
Propitium idem fore numen
Merito credebat, ac sperabat.
Postea tamen Dei Opt. Max. munere Rex
Iuxta Patrem, & Matrem, ac Fratres
Sepeliri compulsus est.

Regnante in Lusitania Philippo II. ex Almeirino in Regium Bethleemi Templum, Vlysipponi proximum, deportatum cadauer; ibique inter cœteros Lusitaniæ Reges tumulatum anno MDLXXXII. quod integrum planè, & nihil graue olens, non sine adstantium admiratione, inuentum est. Fuit Henricus staturâ corporis iustâ, colore candido, oculis glaucis, flaua olim cæsarie, prouecta iam ætate, canitie venerabilis: Emmanuelem parentem facie referebat, & moribus; loquendi parcus, iustitiæ & veritatis amans: quem habebat insitum animo pudorem, externo item corporis habitu præferebat; quò superior erat alijs potentiâ & Maiestate; eò ab omni fastu, & imperiosis

Tellez. Sacchinus.

riosis moribus alienior. Ijs demùm virtutum ornamentis excelluit, quæ Principem reddunt omnibus numeris absolutum. Inaudito hactenùs exemplo, & Regem egit, & Cardinalem.

Sanctissimo Præsuli Carolo Borromæo, Stanislao Hosio, Polono, & Iacobo Sadoto, laudatissimis S.R.E. Cardinalibus, amicitiæ vinculo coniunctus fuit. Viros coluit religione præstantes, Franciscum Borgiam, Leonem Henricnm, Ludouicum Gonçaluez da Camara, Simonem Rodericium de Granata, Bartholomæum de Martyribus, qui postea Bracharensis Antistes fuit, & Hispaniarum Primas. Excellenti etiam ingenio, ac doctrina viros, singulari studio fouit, Andream Resendium, Arium Barbosam, Gasparem Casarlium, Hieronymum Osorium, Petrum Nunnium, Nauarrum, Vasæum, Clenardum, Bucananum, antequàm hæresi infectus deprehenderetur; & alios, quos breuitatis causâ omittimus.

Non defuerunt facili ad scribendum ingenio Authores, qui Henricum in inuidiam vocarent; & obiectis calumnijs, rebus ab eo gestis detrahere ausi fuerint. Hieronymus inprimis Connestagius, nobilis Genuensis, in suo *de Portugallia & Castellæ coniunctione* libello, Emmanuel de Sousa de Faria, Lusitanus, acri vir ingenio, extento nimis stylo Henricum pungit, & nonnulla scribit ab Historica grauitate, & veritate aliena. Hos Du-

Nn

ces sequuntnr, re minùs benè explorata, aliarum gentium Historici, Augustus Thuanus, Petrus à S. Romualdo, Spondanus, Ludouicus & Scæuola Sammarthani fratres, & Scipio du Pleix. Obiectas ab ijs calumnias planè refellit Pius V. Max. egregia de Henrici virtutibus attestatione, quas Regi Sebastiano intuendas, atque imitandas proponit. *Exempla,* inquit, *in Cardinali Henrico sibi proposita habet ad imitandum*, & qui illum præcessit Pius IV. In Diplomate dato anno M. DLXI. Henrici pietati ac prudentiæ debitum testimonium, laudesque tribuit.

Pius V. P. P.

Pius IV. P. P.

Fusè & eleganter illius vitam descripsit Antonius Vasconcellius Societ. I. Anacephalæosi XXI. & Donius d'Attichy Episcopus Æduensis, Gallus, in Floribus Cardin. tom. 3. anno 1546. à pag. 293. Balthasar Tellez S. I. Lusitanus præclarè ab Henrico gesta, in vnum veluti fasciculum collegit, parte 2. Chronic. Prouinc. Lusit. lib. 5. cap. 28. ann. 1. & Acunha in Hist. Archiepisc. Brachar. parte 2. a. c. 74. Multi de illo agunt alij Scriptores: Hieron. Osorius, de Rebus Eman. Reg. in Dedicat. oper. & lib. 8. pag. 301. Seuerinus de Faria, de Cardin. Lusitan. §. 14. Damianus de Goez, in Chron. Regis Emmanuelis. Fr. Franciscus de Macedo, in Propugn. Lusitano-Gallico parte 1. pag. 117. & 139. Emmanuel. Sousa de Faria in Epitom. Histor. Portugall. parte 3. cap. 18. Antonius de Sousa Mace-

do, in Excellent. Lusitan. c. de Relig. ix. & cap. xxiii. pag. 245. Ioannes Francus Barreto, in Biblioth. Lusit. & alij Scriptores Lusitani, quos enumerare longum esset, & fastidium lectoribus afferret. Externos præterire nolumus: Cardinalem Sadoletum lib. 15. Epist. 15. Nomenclator. Cardinal. Spondanum anno 1578. & seqq. Anton. Sanderum in elogijs Cardin. Decad. 1. Elog. 8. Andream Victorell. in Paulo III. Panuinium & Ciaconium in Paulo III. & Gregorio XIII. Felicem Cantelor. parte 2. Elenchi Cardin. in Paulo III. Ordin. S. I. l. 11. l. 13. & 16. Histor. S. I. Sacchin. lib. 4. an. 137. parte 3. & lib. 3. n. 212. & lib. 6. n. 169. & 170. Ribadeneiram, in vita Francisci Borgiæ. Alegambe in Biblioth. Scriptorum S. I. Aubery, in Histor. Cardin. parte 4. Nicolaum Clenard. in Epist. ad Angelum Politian. Nauarrum in Prologo Manual. Hispani. & cap. 17. n. 206. Ioan. Vasæum in Prologo Antiquit. Hispan. Ferdinand. Vghellum in Annotat. Ciaconium, in Paulo III. Fr. Angelum Manriquez, in Annal. Cisterc. tom. 4. Anno 1221. cap. 9. n. 2. Scipion. du Pleix tom. 3. in Henrico III. Rege Galliæ pag. 88. Petrum à S. Romualdo, in Thez. Chronol. & Histor. ad Annum 1578. Iacobum August. Thuanum, tom. 2. ad Ann. 1580. lib. 69. & 70. Sfortiam Pallauicin. in Hist. Concil. Trident. p. 2. lib. 24. c. 9. n. 15. Sammarth. fratres tom. 2. de la

Maiſon de France, tit. Reg. Portug. lib. 42. Giuſſan. lib. 8. c. 24. Maffeium, lib. 13. Hiſtor. Indic. Alphonſ. de Caſtro, in Epiſt. data Salmanticæ Ioan. Antonium Viperan. de obtenta Luſitania Philippo II. A. A. Hiſpan. Illuſtr. Ioan. Anton. Petramellar. in Elogijs. Aubignè, tom. 1. l. 2. c. 10. Marian. lib. 30. c. 7. Iacob. Typotium, in Symbolis Reg. Luſitan. Valer. Andr. Taxandrum, de ſcriptor. Hiſpan. Papir. Maſſonum, tom. 1. pag. 384. Abbatem Iongelin. in Purpura D. Bernardi. D. d'Auity, p. 1. Europæ. Caramuel. in Philippo Demonſtrato. Cæſarem Campanum in Hiſtor. orbis vol. 2. lib. 1. Hieronym. Conneſtag. lib. de Coniunct. Luſitan. cum Caſtella Fr. Anton. Senenſ. Dominic. Nomenclat. Cardinalium, Abbat. Iuſtinianum in ſua Bibliotheca.

Res ab Henrico geſtas cultiſſimis carminibus celebrarunt Eborenſis Academiæ Poetæ; maximè Emmanuel Pimenta S. I. quæ quia omnium manibus teruntur, ſuperuacaneum eſt hic apponere. Vitalis Italus, nobilis illius æui Poëta, ita in Henricum cecinit.

Iure coronati titulo tibi magne dedere
Henrice flos Hiſpaniæ.
Nam tibi magnorum regnorum opulenta corona
Debetur à maioribus.
Cum ſis progenies antiqua ab origine Regum
Præclara, florens, ſplendida.

Non tamen illa tuos regnorum opulentia honores
Auget, facitque nobiles.
Cum per ſe ſatis,atque ſuper tua gloria creſcat,
Fiatque cælo proxima
Multaque cùm deceant præclaræ inſignia mentis
Et corporis te nomina.
In quibus humanæ ſuperas faſtigia laudis
Tranſgreſſus omnes limites.
Te tamen vltra hominum confinia tollit in altum
Illuſtris vna Sanctitas.
Illa bonum, illa pium facit, & Dijs comparat ipſis.
Æquatque Sanctimonia.
Salue, quem faciunt Magnum cùm facta tuórum
Euadis à te maxime.

Iacobus Typotius Henrico tribuit Symbolum; Nauem plenis vento ſecundo velis, hac Epigraphe: *Tuber, & Vber.* quod eruditi Regis Symbolum eruditum dicit. Sammarthani fratres: Anchoram Delphino inuoluto hoc lemmate: *Feſtina lentè.*

Iacob. Typotius. In Symbol. Reg. Luſitan. Sammarth. frat. t.1. de la Maiſon de France, tit. Reg Luſ. lib.42.

INDEX

EORVM QVÆ IN LVSITANIA Purpurata occurrunt obseruatione dignissima.

A

petit,

L

M

FINIS INDICIS.